DE S. CLEMENTE PAPA ET MARTYRE EJUSQUE BASILICA IN URBE ROMA LIBRI DUO. AUCTORE...

Filippo Rondinini

DE
S. CLEMENTE
PAPA ET MARTYRE
EJUSQUE BASILICA
In urbe Roma

LIBRI DUO.

AUCTORE

PHILIPPO RONDININO FAVENTINO.

ROMAE

Excudebat FRANCISCUS GONZAGA in via Lata

M DCC VI.

Approbatione & permissu.

SANCTISSIMO ET MAXIMO

PONTIFICI
CLEMENTI XI.

PRINCIPI OPTIMO.

PHILIPPUS RONDININUS
æternam felicitatem adprecatur.

C*AUTUM eſt divino oraculo*, PATER BEATISSIME, & *in ſacris literis ſtatutum, ut*

Num. 18. universa frugum initia *sacerdoti offerantur, quæ illi a bonorum omnium auctore, in cujus obsequium prima quæque cedere debent, velut in stipendium fuerunt adscripta*: Fere-
Levit. 23. tis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem. *Hic ergo informis licet ac rudis quum primus sit ingenioli mei fœtus, quem de sancto Clemente Papa & Martyre, ejusque in urbe basilica nuper absolvi, illum ideo æterno tuo nomini, MAXIME PONTIFEX, haud temere inscribendum putavi. Quem si*

non offensus excipias, mihi deinde vires animique addentur majora inposterum meditandi, injisque juventutem meam transigendi, ubi præcipue sacrarum rerum monumenta, quæ non minus animum quam ingenium informent, ex veterum historiis sint eruenda. Famæ scilicet assentior te peræque solicitum & de præclaris antiquorum gestis in lucem edendis, & de tuis in Christianam rempublicam meritis occultandis: adeout pene incertum sit an tuæ magis invideas laudi aliena efferendo, an alios magis pro-

moveas tua deprimendo. Quanquam, PATER SANCTISSIME, non certum & singulare ſtudii genus tibi debemus, ſed quicquid ingentes animæ in ampliſſimo ſcientiarum ſpatio moliuntur, in te referri nemo non videt. Per te ſiquidem ea pace ac tranquillitate fruimur, qua literis intentos eſſe nobis liberum ſit; per te licet nobis omnem prorſus ſolicitudinem, qua ceteræ nationes bello concuſſæ premuntur, in literarias exercitationes transferre; denique per te ſecuri quicquid ſtudio comparatum eſt tibi debemus.

Cœlesti plane nutu factum existimavi, ut in hæc deploratissima tempora incideris, quibus nimirum quum adversis quateretur calamitatibus Catholicus orbis, publicorum malorum acerbitas optimi Principis consilio levaretur. Sic enim Christianæ reipublicæ consulere voluit Deus, quum Leonem & Gregorium magnos eosdemque sanctissimos Pontifices apostolicæ Sedi præfecit; quorum ævo in tota Europa, & præsertim in nostra Italia bellici tumultus dirissime bacchati sunt, immanes aquarum eruptiones,

& horrendi motus totum prope terrarum orbem miserandum in modum vexarunt. In eadem ferme tempora & eventus revoluto rerum ordine deventum est, ut singulari Principis sapientia egeremus, ac recurrentibus paribus fere infortuniis, in tuo Pontificatu panderetur commune incolumitatis perfugium. Sed hæc misera ærumnarum facies tuarum laudum cumulum aggeravit, & te Principe literæ imperium auxerunt. Testis est urbs Roma atque orbis, cujus judicium de te factum & egregiis operibus comprobas, &

omnium exspectatione majus reddis: idque præcipue omnes in eo admirati sunt, quum viros qua doctrina excultissimos, qua generis claritate illustres, eosdemque de Romana Ecclesia ob immensos pene exantlatos labores præclare meritos in sacrum amplissimumque Purpuratorum ordinem nuper adlegeris. Patere ergo, CLEMENS SAPIENTISSIME, ut publicæ literatorum felicitati gratulemur, quum te in supremo Ecclesiæ culmine auspicatissime regnantem suspiciant, a quo uno sibi patro-

cinium omne, & commoda consequi præstolantur: necnon volumen hoc de sancto CLEMENTE *Pontifice ejusque basilica coram te venire permittas; ubi venerabile ejusdem corpus pro virili a commenticiis traditionibus vindicavi, & basilicæ, in qua requiescit, inclyta monumenta e diuturna nimis oblivione in lucem eduxi.*

His accedit quod qui CLEMENTIS nomen, & sanctissimi Pontificis vitam perspectam habuerit, quantum formandis moribus, fidei propa-

gandæ, martyrum gloriæ illustrandæ vacaverit, ille non me audaciæ accusabit quod tibi præ ceteris tenue hoc opus dicaverim. Enimvero sanctitati CLEMENTIS *rectè adeo nedum solo nomine alludis, cui sacra die omnium gentium exsultatione præterquam tua Pontificatus apicem ascendisti, ut ejus gesta tuis in moribus optime confirmata admiremur. Palam quippe est apud omnes quantum ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ studium intendas, quantaque in te ferveat Christianæ religionis amplifi-*

candæ ſolicitudo, qua motus celebrem illam expeditionem ad extremas orbis provincias pene ultra ſolis vias jam a primis tui Pontificatus primordiis adornaſti, & nuper inſigne collegium probandis, inſtituendiſque ad apoſtolicas miſſiones ſacerdotibus erexiſti: quanta itidem cura martyrum memoriis ſervandis illuſtrandiſque adhibeas operam nemo ignorat qui tot Urbis baſilicas undique reſtauratas & egregie conſpicit reſtitutas. Quocunque enim verſus oculos dirigimus, ubique occurrunt beneficentiæ

tuæ argumenta, quibus quum sacras ædes vel injuria temporum collapsas, vel hostili barbarie labefactatas refeceris, per te admirabili Urbis ornatui consultum est.

Adeo sane tibi cordi esse animadverti sacra veterum monumenta sarcire, Urbisque ædificia ab annorum detrimentis tueri, ac novo spectatissimoque cultu illustrare, ut maximo licet sumtui minime parcas. Sensit præ aliis providentiæ tuæ pondus & magnitudinem augustissimum Vaticanum palatium, cujus ædes plurimo

impendio qua longa ætate fatiscentes reparavisti, qua deformatas ornasti, & Pontificum majestati pares fecisti. Id senserunt Lateranensis & Vaticana basilica, ad quas marmoreis simulacris magnifice instruendas ingenti animo incumbis: & Vaticanæ aream jam novis tuo beneficio instructam videmus. Id sensit perantiqua sanctæ Mariæ Transtyberim basilica, cujus porticum pulcriori structura ædificatam intuemur. Præterea insignem sancti Theodori ecclesiam novo opere elegantissime perpo-

litam: prætereo sanctæ Birgittæ vetustam ædem venustiori forma instauratam: necnon amplissimum ac toto orbe celeberrimum sanctæ Mariæ ad Martyres templum, ad quod luculentissime expoliendum, & ad pristinum revocandum nitorem omnem impendis curam: totque alias prætereo æque antiquas Urbis basilicas, ubi maxima excelsi animi tui testimonia spectantur. Verum tamen in hisce restituendis veterum basilicarum, quas omnes vident, ædificiis, non ex integro illa restituere (si prorsus

collapsa non fuerint) optimo consilio plerunque duxisti ; ne scilicet vetustatis majestas molis novitate minueretur, sacrisque monumentis fides & auctoritas derogaretur. Neque illa venerandæ antiquitatis cura duntaxat, quæ Principes ecclesiasticos apprime decet, te ad hæc basilicarum ædificia sarta tecta servanda tuendaque induxit, sed Prædecessorum sanctissima exempla. Cui nanque Anastasii Bibliothecarii vulgatum codicem de Romanis Pontificibus lubet consulere, sæpesæpius occursant Pontifi-

ces, alter qui ſacras ædes nimio ſæculorum ſpatio conſumtas ac demolitas refecit, alter qui earum pavimentum eximio opere inſtravit, alter qui parietes marmoribus conveſtivit, vel picturis decoravit. Merito itaque eadem hæc ſancti CLEMENTIS *baſilica longævo nimis ætatis decurſu confecta a te quoque illuſtrari exſpectat, quæ tua admodum indiget beneficentia: unde ſanctiſſimi tui Prædeceſſoris corporis ſepulcro dignior ubique gentium ſedes evadat, ac vetera monumenta, quibus ſuper*

alias mirabilius ornatur, splendidiora videantur.

Sed ut cetera sileam Pontificatus tui decora, PONTIFEX CLEMENTISSIME, sensit nedum Roma a te Principe incrementa, verum etiam ceteræ ecclesiasticæ ditionis urbes, in quibus

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Id testatur Ferraria, cujus cathedralem ecclesiam elegantissimo adeo affabre elaborato regali plane sumtu decorasti: id testatur Urbinum, cujus archi-

episcopales ædes latiori auctæ ædificio, area amplificata, pernobile collegium ad juventutem erudiendam, bonisque moribus informandam erectum tuam undique laudant munificentiam. Quanquam vero multa sunt, quæ de incredibili virtute tua palam ab omnibus gloriosè prædicantur, majora tamen animo tuo agitas ad difficillima quæque instituto. At ego ne futuris laudibus, quæ tibi tribuentur immortalibus præludere videar, epistolæ modum impono. Faxit Deus ut quæ longe etiam am-

pliora cogitatione complexus es, aliquando efficias, quem interim enixe precor, ut Catholicæ Ecclesiæ bono incolumitatem & salutem tuam quamdiutissime tueatur.

Dabam Romæ kalendis Augusti anno MDCCVI.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dominicus de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesgerens.

APPROBATIONES.

EX commissione Reverendissimi Patris Paulini Bernardini sacri Palatii Apostolici Magistri opus inscriptum: *De sancto Clemente Papa & Martyre, ejusque basilica &c. Libri duo*, auctore D. Philippo Rondinino, evolvi quamlibentissime, cunctaque in eo deprehendi styli candore, auctoritatum pondere, argumentorum robore, adversantium dissolutione mire sibi constantia, semper veritati conformia. Nil deficit, nil redundat; nec quicquam adjici sine superfluitate, aut subduci sine ruina potest. Opus igitur sacræ antiquitati illustrandæ, vindicando almæ Urbis decori, in adorandum corpus sancti Pontificis & Martyris Clementis augendæ religioni aptissimum digne prælo donabitur. Ita censeo e Conventu sanctæ Mariæ super Minervam die XIII. Decembris MDCCV.

Fr. Raphael Maria Philamundus primus Bibliothecarius Casanatensis, sacræ Congregationis Indicis Consultor, electus Episcopus Suessanus.

Utrun-

UTrunque librum clarissimi viri Abbatis Philippi Rondinini Urbi asserentem sancti Clementis Papæ & Martyris sacra lipsana, & ejusdem venerabili basilicæ ad montem Cœlium non minus prisca decora, quam recentia reddentem attente quum legerim jussu Reverendissimi Patris Bernardini sacri Palatii Apostolici Magistri, tantum ubique reperi studium veritatis, tantam argumentorum soliditatem, copiam eruditionis, ordinis elegantiam ac nitorem, ut non modo libros inoffenso pede a Catholicis lectoribus tentari posse judicem; sed auctor cuilibet libenter sim, ut eosdem iterato percurrat quisquis in uno Romanæ Ecclesiæ sacrario amat intueri ac venerari nascentis Christianæ religionis pretiosissima pignora in Apostolicorum virorum corporibus ibidem tumulatis, veterem disciplinam sacrorum mysteriorum in basilicæ partibus hic explicatam, & virtutum omnium exempla in presbyteris Cardinalibus huic titulo concessis. In quotum fidem hasce literas dabam ex Ædibus Palatii Apostolici in Quirinali XII. kalendas Augusti MDCCVI.

Franciscus Blanchinus sacræ Congregationis Indicis Consultor.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius sacri Apostolici Palatii Magister Ordinis Prædicatorum.

LE-

LECTORI ERUDITO.

VISUM est, erudite Lector, pauca præfari, ut instituti operis ratio reddatur. Hic de sancto Clemente Papa & Martyre, ejusque in Urbe basilica sermo est: idcirco de sancto Pontifice nonnulla præmittenda duxi, quibus nimirum tanti Præsulis operum memoria in lucem iterum evulgetur, necnon posterorum documento iterum consulatur. Deinde sanctissimum ejus corpus, quod in eadem basilica requiescit, a supposititia quadam translatione late vindicatur: quamobrem plura haud levi lucubratione sese offerunt discutienda; quæ inter Johannis Berardi monachi historia de fundatione Casauriensis

sive

five Piſcarienſis monaſterii a Franciſco Ducheſnio in tomo tertio rerum Francicarum, & a Ferdinando Ughello in tomo ſexto Italiæ ſacræ publicis literis edita, ejusque chronicon a Luca Acherio in tomo quinto Spicilegii veterum ſcriptorum in vulgus emiſſum, quod aliqua ex parte veritati contrarium agnoſcitur, ibique collecta quorundam Imperatorum diplomata vel uti conficta adulterinaque reſutantur, vel ſaltem uti vitiata refelluntur.

Hinc progredior ad baſilicæ monumenta hiſtorice explicanda, quæ ad plura ſacræ vetuſtatis inſtituta moresque exploranda conducunt.

Cur vero huic operi manum admoverim, duo præ ceteris in cauſſa fuere: primum ne quisquam inpoſterum dubius hæreret de loco, ubi ſancti hujus Pontificis venerabile corpus

pus requiescit, & ne alii nimia capti credulitate, atque a vulgari errore occupati alibi immerito cultum persolverent. Alterum fuit, ut basilicæ, in qua sacra hæc lipsana jacent, vetus magnaque dignitas prodiret in lucem; unde compertum omnibus fieret quo jure inter illustria ecclesiastica antiquitatis monumenta recenseri servarique mereatur.

Verum qualecunque in hoc opere studium (quod ut aggrederer præ omnibus auctor fuit vir Cl. & in rerum sacrarum cognitione apprime versatus Antonius Sanfelicius Neapolitanæ ecclesiæ canonicus amicis juvandis deditissimus) mihi referendum est inter ceteras Casanatensi amplissimæ bibliothecæ plurima lectissimorum omnigenæ eruditionis codicum copia longe commendatissimæ, quæ aliis in dies, qui proxime typis per

totum orbem vulgantur, literariæ reipublicæ, & confluentium eruditorum utilitati mirum in modum cumulatur. Quod ut fatear operæ pretium me facturum putavi, & ut grati animi argumentum palam testatum velim, & ne quod æquum est scripto committere ac laudibus commendare literarum & nominis ornamento fraudetur.

Si autem, Lector, minus latinam vocem *exsistentia* plerunque in opere offendas, hanc potioris explicationis gratia usurpatam fuisse scias: sique præterea minus latina, minusque accurata aut barbara syntaxis quandoque irrepserit, veniam clementer dabis, & corriges.

I N-

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CA-

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

LI-

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CA-

DE S. CLEMENTE PAPA ET MARTYRE

Liber Primus.

CAPUT PRIMUM.

Sancti CLEMENTIS *vita, ejusque martyrium summatim describitur; pluraque in dubium revocata pertractantur.*

I. SANCTI CLEMENTIS Papæ & Martyris vitam, quam olim plures insignis nominis auctores literarum monimentis tradiderunt, brevi compendio describendam aggredior: ea enim sunt magni hujus Pontificis præclara gesta, quibus Apostolicæ Sedi ornamento fuit, ut nunquam satis prælapsa tot sæculorum serie memoriæ hominum prodita sint, neque inposterum digno cultu scriptis commendari posse videantur. Horum itaque exordium ut a priori Catholicæ religionis sæculo

ducatur, postquam beatissimus apostolorum princeps Petrus, jacto Romanæ ecclesiæ primo lapide, sacerdotalis dignitatis fastigium suo sanguine consecravit; atque Linus, deinde Cletus optimi Pontifices non absimili virtutis exemplo, & pari sorte relata martyrii palma ejus primordia confirmaverunt, Clemens Romæ in regione secunda Cœlii montis natus, a Petro baptizatus, & diaconus ei adsistens, dein presbyter, mox episcopus ordinatus, illustris notæ philosophus, & theologus Christi fide recepta clarissimus ad apicem Pontificatus evectus est. Quod autem notant scriptores, Clementem a Petro in successorem vocatum fuisse, ad illud fortasse allusum est, quod in capite tricesimosecundo libri de Præscriptionibus adversus hæreticos Tertullianus observat, qui Clementem a Petro ordinatum affirmat; id juxta quod luculentiori testimonio tradit Epiphanius in Panario ad hæresim vicesimamseptimam, Clementem scilicet ab ipso Petro manuum impositionem accepisse, sed episcopatus exercitium ad Lini usque & Cleti obitum, quos idem apostolorum princeps sibi in partem solicitudinis adjunxerat, distulisse.

II. Hinc quicquid alii contendunt ex vulgato libro de Romanis Pontificibus nomine Damasi circumlato, non magni faciendum esse existimavi: veteres quippe rerum ecclesiasticarum auctores Cleto successisse Clementem unanimi sensu testantur.

Immo

Immo auctor carminum contra Marcionem in libro tertio, nedum tertio loco post Petrum fuisse putat Clementem, sed etiam quarto, nimirum post Anacletum. Quod ipsum licet & quidam alii inter antiquos pariter scripserint, tamen post Cletum, sed ante Anacletum Romanæ ecclesiæ præfuisse Clementem, Cardinalis Baronii ad annum undesceptuagesimum, aliorumque testimonia suadent; quum alioqui perspicuum sit nonnullos, & maxime Græcos, seu vitio scriptoris, seu ex alia caussa Cletum & Anacletum unum eundemque opinantes confudisse.

III. Lino igitur & Cleto esse certa sedis tempora tribuenda nemo non videt; id & majores cognovisse compertum est, quum qui primam Romanorum Pontificum numerarunt seriem, vel alias de Petri successoribus meminerunt, omnes semper tertio loco posuerint Clementem. Et Hieronymus Romanæ ecclesiæ alumnus etsi aliquando in commentario ad caput quinquagesimumsecundum Esaiæ, & in libro primo capite septimo adversus Jovinianum dixerit obiter Clementem successisse Petro, tamen quum de Clemente diligentius meminerit, ut in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, illum post Linum & Cletum sedisse affirmavit: hancque fuisse ipsius Romanæ ecclesiæ traditionem locuples est testis ejus martyrologium ad dies vicesimamsextam Aprilis, vicesimamseptimam Septembris, &

vicesimamtertiam Novembris, dum agit de sede Lini, Cleti, & Clementis, necnon facer missæ canon, ubi eodem, ut patet, ordine, quo illi sederunt, secundum antiqua diptyca primi recensentur. Errant ergo qui veterum omnium opinione posthabita, præfati libri de Romanis Pontificibus auctoritate nec Linum nec Cletum inter Petri successores adnumerant, sed corepiscopos tantum fuisse arbitrantur.

IV. Verum ut ad illud unde digressa est redeat oratio, ex veteri Senatorum propagine, immo ex Cæsarum genere ortum Clementem Pontificem autumat sanctus Eucherius in epistola ad Valerianum, eundemque alii ad Octaviam familiam referunt, forte illum cum Clemente Consulari viro, quem Domitiani jussu pro Christo occubuisse legimus, confundentes. Ceterum probatissimi auctores Clementis parentem Faustinum nomine, seu, ut alii, Faustinianum, vel Faustum, de regione secunda Cœlii montis fuisse scribunt nihil de matre ferentes, quam alii Matthidiam, alii Macidianam vocant. Duos quoque eidem tribuunt fratres, primum patris cognominem, alterum Faustum. Clementem illum esse, cujus Paullus meminit in epistola ad Philippenses capite quarto fere omnes existimant: attamen Augustinus Oldoinus in suo libro de Clementibus, atque in additione ad Ciaconium tempore Apostolorum tres facit nomine Clementes, & sectatorem Paulli alium putat a Clemente Pontifice; illum enim

ex

ex Dorotheo Tyrio Græcum natione, & Caniæ episcopum tradit; verum id contra graviorum scriptorum testimonia levem profectò sibi vindicat fidem.

V. Clemens itaque Apostolici Præsulis munere fungens, septem Notarios instituit, quibus Urbis regiones divisit, ut singuli res gestas martyrum solicite & sedulo per regiones suas conquisitas describerent. Horum deinde nomen, & ex parte munus in septem olim Protonotarios, quos *Participantes* vocant, migravit; iique a Sixto V. Pontifice ad duodenarium usque numerum aucti, & insignibus admodum privilegiis cumulati, in eo præcipue, quod præ ceteris obtinent, doctorali laurea decorandi, perinde ac habent illustres orbis Universitates, sancto Clementi velut auctori suam referunt originem, atque in pendenti sigillo, quod post doctorale diploma subjiciunt, sancti Clementis imaginem cum notis: *S. Clemens Collegii Prot. Part. Fundator* exprimere solent. Qui autem Constitutionum Apostolicarum, Liturgiæ, aliorumque operum libros Clementi immerito tribuunt, addunt etiam sacrum vestium usum in missæ sacrificio statuisse, episcopos amictu, sandaliis, & chirothecis ornasse, aliosque in Romana ecclesia sacratissimos mores induxisse. Nec tamen si hæc de Clemente incerta sint, mirandum est; nam plurima adhuc, quæ de ipso veterum opinione perhibentur, dubio, vel saltem disceptatione

non

non vacant. Hæc inter non levi eruditorum censura feruntur quæ de Dionysio Areopagita, Taurino, Ursino, Gratiano, aliisque vulgata sunt, quos in Gallias a Clemente Pontifice episcopos missos esse auctorum plures testantur; nunquam enim Atheniensem seu Areopagytam Dionysium Parisiis, ut ajunt, episcopum a Clemente præfectum fuisse recentiorum nonnulli contendunt: rem quippe critica nimis indagine explorantes, Dionysium Parisiensem episcopum longe post Clementis Papæ tempora, Decio imperante, vixisse observant; quæ contra veteres & optimæ notæ scriptores a recentioribus lata haud facile venerandam eorum adimunt auctoritatem.

VI. Eugenium primum Toletanum antistitem a Clemente consecratum fuisse subdit in additione ad Ciaconium Oldoinus; necnon ex Atinensibus chronicis eruit, Fulgentium virum sanctissimum Marco Atinensi episcopo, qui victricem martyrii coronam jubente Maximo totius Campaniæ præside nactus fuit, ab eodem Clemente suffectum esse, & annis plusquam triginta Atinensis ecclesiæ regimini præfuisse.

VII. Eo itidem sedente in ecclesia Corinthiorum schisma & dissensio gravissima in rebus religionis grassari cœpit, quam sanctissimus idemque doctissimus Pontifex illico compressit scripta ad eos Romanæ ecclesiæ nomine epistola, in qua ad

mu-

mutuam concordiam ineundam illos adducere, eorumque nutantem fidem confirmare mirifice conatus est. Quod illorum episcopis adeo acceptum fuit, ut hanc epistolam palam in ecclesiis legere consueverint, idque sua ipsorum ætate adhuc consuevisse tradunt Eusebius libro quarto historiæ ecclesiasticæ capite vicesimosecundo, & Hieronymus in Catalogo, eodemque *charactere & stylo* exaratam fuisse ajunt, quo Paullus in sua ad Hebræos usus est. Hujus compendium Irenæus in libro tertio capite itidem tertio adversus hæreses summatim perstrictum recitasse videtur, dum eam de divina fide, & ecclesiasticis traditionibus tractasse testatur: proferuntque ex eadem varia fragmenta Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, & Basilius Magnus.

VIII. Barnabam apostolum Romam profectum, hospitem in paternam domum a Clemente exceptum fuisse aliqui scribunt; & hujus facti traditionem, vel ad antiquissimum ac truncum lapidem referunt, qui, ut monet Pompejus Ugonius in libro de Stationibus Urbis, in ipsa sancti Clementis basilica his notis servatur: *Barnabas . . . . . tur*, cui literas supplet *a Clemente hospitatur*, aut *excipitur*, vel ad libros Recognitionum Clementis nomine inscriptos, in quibus adventus Barnabæ apostoli Romam apud Clementem fit mentio; unde & fidem habet (si quis est) præfatus lapis, necnon MS. codex monasterii Fossænovæ apud Bollandianos in

tomo

tomo fecundo Martii ad diem nonam in Actis fanctorum Cyrilli & Methodii, cui initium eft: *Sermo domni Leonis Oftienfis epifcopi de ordinatione five cathedra fancti Clementis Papæ*, ubi hæc eadem de Barnaba recenfentur. Verum tamen Cardinalis Baronius ad annum quinquagefimumprimum, & alii plures ea, quæ in præcitatis libris continentur, nullius prorfus effe auctoritatis, & ab antiquis inter fpurios adnumerari docent, ideoque apoftoli Barnabæ Romam adventum cum ceteris inter commenta rejiciunt. Subdit autem Baronius, fiquis apocryphorum teftimonio adhærens, Barnabam velit aliquando veniffe Romam, id nonnifi ad Neronis tempora poffe referri: alii quippe levi admodum traditione fubducti, Barnabam ante Petrum Romam progreffum effe putant, ibique primum omnium Chrifti euangelium annunciaffe.

IX. Multos Romæ ad Chriftianam fidem Clemens perduxit, ut notant Boninus Mombritius in Actis Sanctorum tomo primo, Jacobus de Voragine antiquus auctor archiepifcopus Genuenfis in fua Legenda, quam Claudius a Rota fub Paullo III. vulgavit, & Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum libro decimo capite nonagefimooctavo. Hos inter Sifinnius, necnon uxor ejus Theodora, atque alii Nervæ Imperatoris familiares Chrifto nomen dederunt. Flaviam Domitillam quoque Flavii Clementis viri Confularis neptem magnæ conftantiæ vir-

virginem ad pietatem instituit, & sacro velamine consecravit; cujus vitam luculentissime scripsit Paullus Æmilius Sanctorius archiepiscopus Urbinatensis in suo opere de Duodecim virginibus & martyribus.

X. Interea Trajanus Imperator Catholicæ fidei incrementa ægre ferens, licet palam in ejus asseclas indignatus non fuerit, subdola tamen & ementita caussa eos plectendos curavit: dum cavit Imperiali edicto ne collegia seu sodalitia fierent a Christianis. Magnum enim Romano in populo Clementis nomine, Comitis vero sacrorum Publii Tarquinii * opera, emerserat seditionis incendium; alii siquidem Clementis partes tuebantur, alii insano spiritu perciti, Clementem tanquam superstitionis reum accusabant. Unde qui Romæ magistratus gerebant Christianos exagitare cœperunt, ac præsertim in Clementem Pontificem indignari, quem adeo ingentis sodalitii principem esse videbant. Qui propterea ad tribunal Urbis præfecti Mamertini perductus, optione ab Imperatore ea de re per literas consulto accepta, ut vel Diis thus adoleret, vel ultra Pontum in desertam civitatem Chersonam ablegaretur, absque ulla mora durissimum exilium impietati præposuit. Illuc sanctus Clemens profectus, quum plures Christianos ad marmora secanda mulctatos reperisset, illud solatii eis præstitit, ut quum maximo labore humeris aquam procul de-

* Alii Tarquitianum vocant.

B fluen-

fluentem jugiter ferre cogerentur, in loco divinitus agni signo præmonstrato suis ad Deum precibus fontem uberrimum impetravit. Quo insigni miraculo adeo Christiana religio inter loci accolas fuit propagata, ut septuagintaquinque ecclesiæ, idolis confractis, Deo maximo erectæ fuisse legantur.

XI. Sed ubinam sanctus Pontifex revera ultra Pontum exsulaverit multa est inter auctores opinio: & primum martyrologium Romanum ad diem vicesimamtertiam Novembris *apud Chersonesum relegatum* sanctissimum Præsulem testatur; quapropter Cardinalis Baronius in suis notis ad eandem diem alicubi mendum irrepsisse judicat, ut *Chersonesus Lyciæ* dicatur, nullam in Actis animadvertens de Lycia haberi mentionem, in quibus apud Metaphrastem de loco exsilii Clementis tantum ista notantur: *Oportere eum vel consentire sacrificantem, aut ultra mare Pontum in desertam civitatem sitam prope Chersonam relegari*: hæc ibi secundum lectionem, quam veriorem putat Baronius; alia siquidem lectio habet: *Ultra mare & Pontum*; sed prædictam certiorem existimat, quam Beda, & Ado in martyrologiis secuti sunt. Est enim Pontus idem quod mare Euxinum, in cujus capite apud Bosphorum Cimmerium sita est Taurica Chersonesus, in qua versus paludem Mæotidem civitas exstat *Chersonesus* * dicta, cujus meminit Strabo in libro septimo, eamque *Chersonesum*

* Hodie Tepterakan dicitur, in ora Occidentali ad fauces sinus Carcinitis sita.

nesum appellat. Porro ab aliis *Heraclium* etiam, ut a Ptolomæo, nuncupata est, eo quod fit Heracliensium Colonia. Recentiores autem dixere *Cersonam*, sive *Chersonam*, quæ & exsilio Justiniani junioris Imperatoris notior est facta. Hinc quod Lycia Chersonesus dicta sit, non tamen idcirco tradit Baronius illam in provincia Lyciæ in Asia fuisse, ubi nullius Chersonesi apud geographos fit mentio: sed irrepsisse censet errorem, ut pro *Bycia* Lycia scriptum sit; alluit enim Bycia palus a Byco fluvio sic appellata Chersonesum a superiori parte, ut docet Ptolomæus in tabula octava Europæ. Irrepsisse itidem errorem credit in libro de Romanis Pontificibus, ubi de Clemente legitur: *Clemens sepultus in Græcia*. Quæ omnia de exsilii Clementis loco sibi suadet illud vehementer confirmare, quod de ejus corporis inventione & translatione ibidem habita testari videntur Acta apud Petrum de Natalibus, ubi memoria est episcopi Georgiæ,* qui præfatæ inventioni & translationi vocatus interfuit.

* Est hæc illa regio, quam Plinius lib. 4. cap. 12. Georgos appellat, unde Georgia, de quibus idem Plin. lib. 6. cap. 13.

XII. Hæc Baronii sententia; a qua late discrepat Heribertus Rosweidus in notis ad libellum Adonis archiepiscopi Viennensis *de festivitatibus sanctorum Apostolorum, & reliquorum, qui discipuli, aut vicini, successoresque Apostolorum fuerunt* ad diem vicesimamtertiam Novembris. Locum enim Adonis adnotationibus exornans: *trans mare Pontum in eremo, quod adjacet civitati Cherso-*

 sone

sona relegatur, erudito admodum examine quærit & disputat ubinam reipsa sanctus Clemens Papa exsulaverit. Animadvertit siquidem breviarium Romanum ante postremam correctionem hæc olim exhibuisse: *A Trajano Imperatore relegatur est in insulam Lyciæ*, ubi deinde pro *in insulam Lyciæ* substitutum fuit *trans mare Pontum*. In Actis apud Mombritium de insula Lyciæ hæc leguntur: *Passus est autem sanctus Clemens episcopus urbis Romæ sub Trajano Imperatore, & Aufidiano Duce in Cersona civitate* * *Lyciæ sub die nona kalendarum Decembrium*: hinc Baronium redarguit Rosweidus, dum ait in Actis nullam de Lycia haberi mentionem, de qua tamen silentium est in illis apud Metaphrastem. Quicquid sit, creditum olim fuit, Clementem passum fuisse in Chersona Lyciæ, vel insula Lyciæ, ut breviarium jam exhibebat. Id & ego exploratum habui ex prægrandi in membrana MS. codice amplissimæ bibliothecæ eminentissimi Cardinalis & clementissimi Principis Francisci Barberini, quam custodis humanitate adivi, quamque summa plane facilitate eruditi omnes adeunt, ubi inter plures, quas continet Sanctorum vitas Mombritii Actorum ferme æquales, ita quod parum vel addito vel dempto, eadem pene versio esse videatur, illam etiam sancti Clementis adverti; & omnia, quæ Mombritius tradit, iisdem fere verbis complectitur, atque de loco passionis sancti Pontificis hæc habet: *Martyrizatus*

* *Insulæ insula.*

tatus est autem venerabilis Dei Clemens episcopus urbis Romæ in civitate Cersona, Provincia Lyciæ die nona kalendarum Decembrium.*

* Hic mendum irrepsisse puto.

XIII. Quæ vero sit hæc Chersona, vel insula Lyciæ quæritur a Rosweido, qui Baronii judicium rejiciens, pro *Lycia* Chersoneso *Byciam* divinantis, hæc scribit: *Plausibilis sane conjectura, si literarum affinitatem spectes, sed non est passus Clemens in Chersoneso Byciæ paludi proxima, sed in alia insula Chersoneso vel Chersonæ proxima.* Hujus opinionis fundamentum, præter Adonis, & Metaphrastis auctoritatem, educit ex Actis inventionis sacri corporis apud Petrum de Natalibus, unde colligit non Chersonam, sed aliam insulam Chersonæ vicinam Clementis exsilii locum fuisse, additque: *Venia, spero, mihi dabitur, si certum exsilii locum, in quem Clemens Papa relegatus fuit coner producere, idque non tam conjecturis, quam certo indicio. Existimo igitur eum in Leucam insulam (quæ & Achillea dicitur) Chersonæ proximam relegatum: quod siquis Leucæ nomen post in Lyciæ migrasse velit, non magnopere refragabor. In Leucam autem insulam ablegatum Clementem Papam adstruo.* Ita Rosweidus. Leuca hodie insula parva est Sarmatiæ Europeæ in Ponto Euxino ostio Boristhenis fluvii objecta cum oppidulo cognomine, quæ & Achillea dicta fuit a Pomponio Mela. Id etiam veteri Anastasii codici de Romanis Pontificibus in vita Clementis

mentis consentaneum esse probat Rosweidus, ubi legitur: *Qui etiam sepultus est in Græcia*; quem locum Baronius, ut præmisimus, tanquam mendosum expunxit: at sanum esse Rosweidus defendit, qui vel inde patet, quod Marius Niger geographus peritissimus asserit adhuc hodierna tempestate Leucam insulam vulgo vocari *Græciariam* *, quod parum abit ab Anastasii Græcia, apud quem forte etiam *Græciaria* legendum quis divinaverit, ideo Græcia, vel Græciaria fortassis dicta, quia Taurica Chersoneus, ubi sita est, teste Ammiano Marcellino libro vicesimosecundo, plena sit coloniarum Græcarum. Præterea hanc insulam Leucam fuisse ex eo itidem arguit, quia exsiliis aptissima atque deserta; unde Arrianus in Periplo Ponti Euxini: *Insula hæc* (inquit) *deserta est ab hominibus*. Necnon Ammianus Marcellinus loco citato: *In hac Taurica* (scilicet Chersoneso) *insula Leuce sine habitatoribus ullis Achilli est dedicata*. Et demum hanc putat, quia tota saxosa est & rupibus ardua, ut præter Acta, notat Festus Avienus in orbis terræ descriptione:

. . . . *ubi concava saxa*,
Cedit in antra sinu rupes, ubi saxa dehiscunt
Molibus exesis, & curvo fornice pendent.

Atque hæc Rosweidus de loco exsilii Clementis Papæ rum ad lucem veteris breviarii, quam ad Anastasii lectionem stabiliendam & explicandam.

XIV. Verum quisquecunque fuerit locus, in quo san-

* Seu Cæsariam.

sanctus Præsul exsulabat, Trajanus Imperator, ut in illum, quem in adeo remotas orbis partes amandaverat, novam malorum tempestatem concitaret, nonnisi ea præcessit caussa, quod inclyti ibidem editi miraculi virtute, tum etiam evangelica prædicatione omnem fere illam provinciam ad Christi religionem perduxisset. Quamobrem missus illuc Aufidianus * præses, postquam plurimos Christianos multiplici tormentorum genere necavit, quum omnes hilari vultu ad martyrium accedere suspexisset, ingenti eorum numero parcens, Clementem in medium maris duci, & anchora collo alligata in profundum demergi jussit, ne Christiani corpus ejus auferre possent, & sicut aliorum martyrum corpora, venerari.

* In MS. codice Bibliothecæ Barberinæ legitur *Afidianus.*

XV. Quum tota interim adstantium Fidelium multitudo demersum sanctissimum Pontificem tristi animo lugeret in litore, Cornelius, & Phœbus ejus discipuli hortati sunt unanimes ad humiles in Deum preces effundendas, ut invictissimi Martyris reliquias divinitus patefaceret. Orante autem populo, confestim mare, suffragante divinæ virtutis opera, ad tria milliaria recessit; & eo illi accedentes angelico ministerio marmoream ædiculam in modum templi in medio maris extructam, & lapideam intus arcam, ubi Martyris corpus reconditum erat, ac juxta illud anchoram, qua mersus fuerat, invenerunt: quod adeo insigne prodigium omni sæculo-

rum

rum memoria celebrandum per annos plusquam biscentum præstitum fuisse ejus natali die, necnon septem succedentibus diebus, quibus securus patebat aditus ipsius sepulcrum adeuntibus, Gregorius Turonensis de gloria martyrum capite tricesimosexto, Petrus de Natalibus, ceterique laudati auctores testantur.

XVI. Præfuit ergo beatissimus Clemens in Apostolica sede annos novem & menses sex, vel ut alii putant, menses duos & dies quatuor, vel etiam ut alii, undecim & dies duodecim, temporibus Domitiani, Nervæ, & Trajani Imperatorum, cujus imperii anno tertio, reparatæ salutis centesimosecundo martyrium consummavit. Ab ecclesia Romana natalis ejus die vicesimatertia Novembris honorifice colitur, qua scilicet, ut Anastasius admonet, martyrii lauream obtinuit. Id quoque observant Mombritius, & auctor codicis Barberinæ bibliothecæ, qui Græcorum Menologiis adhærentes, in sequentem diem vicesimamquartam Novembris banc ipsam martyrii sancti Clementis transferunt sollemnitatem. Ordinationes duas mense Decembri habuit sanctus Pontifex, quibus episcopos quindecim, presbyteros decem, & diaconos duos ad sacra obeunda ministeria assumsit.

XVII. Ferunt plura de miraculis ad ejus corpus editis Acta; illud tamen clariori nota dignum, quod etiam a sancto martyre Ephræm Chersonis

epi-

episcopo (qui Clementi apostoli nomen tribuit) in sua narratione apud Surium post ejus vitam, necnon a sancto Gregorio Turonensi, aliisque probatæ fidei auctoribus est perenni memoriæ commendatum. Narrant hi parentum incuria relictum fuisse aliquando in ædicula puerum quendam, qui annui prodigii ignarus toto unius anni spatio ibidem vixit incolumis. Quum enim mare fluctus suos ad deserta limina de more revocasset, relictum adolescentem omnium opinione pro defuncto habitum lugebant parentes; anno vero sequenti sancti Clementis festivo die recedens mare vivum puerum oculis & desiderio genitorum restituit. Quo illustri miraculo permoti fideles, e toto orbe peregrinationes ad Clementis sepulcrum obibant.

XVIII. Inter suos Clementem adnumerari contendunt inani prorsus conatu Canonici Regulares: alii inter sanctos Carmelitas levi pariter traditione eundem referunt. Velitrensem episcopum auctores bene de urbe illa meriti faciunt nominis fortasse similitudine decepti, qua dulci nimis dilectione in patriam ducti, id ut historicæ veritatis monumentum prodidere. Alii demum inter episcopos Calaritanæ ecclesiæ primum fuisse Clementem ab ipsismet apostolis illi præpositum scribunt, teste Francisco Fara de rebus Sardiniæ in libro primo; quibus eadem consonat responsio, alium scilicet a Pontifice Clementem fuisse: plures nanque Clementis nomi-

ne episcopos tum martyres quum confessores in suo libro de Clementibus Oldoinus collegit; propterea ab hac multiplici nominum similitudine tot forte scriptorum errores exorti sunt.

XIX. Cujusdam tamen Clementis Sardorum episcopi meminit Godefridus Henschenius ad diem vicesimamsecundam Aprilis in Actis sanctorum Apellis, Lucii, & Clementis ex Menologio Sirleti, cujus sunt verba: *Clemens, qui ex Gentibus conversus, factus est episcopus Sardorum*, additque Sardorum urbem in Lydia Asiæ regione sitam esse, quam memorat Johannes in Apocalypsi,& Clementem hunc inter septuaginta Christi discipulos referri. Atque ex alio catalogo hæc habet: *Clemens primus ex Gentibus credens episcopus Sardicæ*, quem perperam Romanum Pontificem electum fuisse nonnulli dixerunt, ut idem Henschenius animadvertit. Quapropter Oldoinus alium ab illo Sardorum facit Sardicæ episcopum, quæ urbs est in Thracia in Mysiæ superioris confinio, ubi sub Julio I. Pontifice anno trigentesimo quadragesimoseptimo Synodus habita fuit. Hinc (quicquid Petrus Subertus in parte septima de cultu vineæ Domini capite tertio, & Johannes Chappius in catalogo discipulorum Christi parte quarta thesauri sacerdotum adversus contenderint) credibile est primos illos auctores, qui Calaritanum episcopum in Sardinia sanctum Pontificem Clementem scripserunt, id nominis simi-

similitudine cum Clemente Sardorum, vel Sardicæ episcopo elusos, augurantes asseruisse.

XX. His omnibus ut reprobandum adnectere lubet quod de Clemente Pontifice reperi in antiquo MS. Græcorum Menologio apud Ughellum ex Vaticana bibliotheca in tomo sexto Italiæ sacræ vulgato, quod ante annum nonagesimum octogesimum quartum jussu Basilii junioris Imperatoris Constantinopolitani conscriptum idem Ughellus observat. Ejus exordium est: „ Septimo „ kalendas Decembris, certamen sancti sacro- „ martyris Clementis episcopi Romani. Deinde prosequitur: „ Clemens sapientissimus apostolo- „ rum discipulus & successor, naufragio, flucti- „ bus aliquando ereptus, & cum Petro apostolo „ congressus, ab eo Christi veritatem edoctus est, „ quum jam gentilium scientiam teneret. Is euan- „ gelii præco, præscriptorum apostolicorum scri- „ ptor, episcopus Romanus factus, a Domitiano „ Imperatore male mulctatus, in Ancyram Galatiæ „ relegatus, ubi pariete inclusus, obstructa lapidibus „ janua, atque legumine tantum sustentatus, in „ hoc squallore luctuque excessit e vita. Cujus „ pretiosæ reliquiæ ab idololatris in profundum „ projectæ, in litus, ut fideles referunt, ejectæ sunt „ in hunc usque diem miraculorum celebritate in- „ signes. Hæc habet Menologium apud Ughellum ex codice Vaticano. Verumenimvero quantam au-

ctoritatis & fidei vim id mereatur, neminem profecto latet, qui Sanctorum callet historias, ac modice licet instructus Clementis Ancyrani episcopi non ignorat passionem, & quam differat Clementis Romani martyrium ab illo Ancyrani longe durissimo; in quem unum omnia, quae barbara feritas excogitare potuit tormentorum instrumenta, martyrio praefides adhibuerunt: quorum deinde, constans & invictus virtute, subacta crudelitate, insigniori palma donatus est, & inter martyrum clarissimos sacris fastis adscriptum veneramur. Ibi autem in Menologio, ut ex dictis satis apparet, quot verba fere tot menda sunt, ingensque plurium errorum congeries. Confundit nanque Ancyram Clementis alterius episcopalem sedem cum Chersona Pontificis Clementis exsilii loco: confundit Domitianum nomine Diocletiani Caesaris Galatiae vicarium, quo praeside Clemens Ancyranus pati coepit, cum Trajano Imperatore: demersionem sancti Pontificis in mare obscure distinguit, atque alia mendose tradit, quae cordato cuique satis perspecta sunt.

CA-

CAPUT II.

De scriptis, quæ sancti Clementis Papæ & Martyris nomine circumferuntur.

I. INSTITUTI operis ratio postulat, ut de scriptis sancti Præsulis nomine vulgatis quicquam paullo subjiciam. Plura fertur scripsisse doctissimus Pontifex, sed quorum maxima pars in dubium ab eruditis revocatur; de illis enim multiplex inter auctores agitatur opinio, quam omnes de scriptoribus ecclesiasticis differentes tum antiqui quum recentiores expendunt. Omnia quæcunque sint post alias eorum editiones publici juris fecit Parisiis anno ultra millesimum sexcentesimo septuagesimosecundo Johannes Baptista Cotelerius socius Sorbonicus inter opera sanctorum Patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt, adjectis singillatim notationibus, veterumque scriptorum testimoniis, qui de illis cum laude meminerunt, eaque diffusa eruditione illustravit, & in duas partes distribuit; in quarum prima continentur:

Duæ ad Corinthios epistolæ.
Constitutionum Apostolicarum libri octo.
Canones Apostolorum octogintaquinque.
Recognitionum libri decem.
Liber de Clementinis, ubi prostat *epistola ad Jacobum fratrem Domini*, necnon altera *Petri ad Jacobum cum ejus Contestatione.*

Atque in parte secunda:

Epitome Clementina, quibus omnibus alii *Apostolicam Liturgiam* adjiciunt.

II. Ex his, quæ sub Clementis nomine circumferuntur scriptis, solæ pro veris & genuinis duæ ad Corinthios epistolæ habentur, prior quidem indubitata & ab omnibus accepta, posterior quoque certo genuina, etsi non ab omnibus probata. Sanctus Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum de priori sic ait: *Scripsit Clemens ex persona ecclesiæ ad ecclesiam Corinthiorum valde utilem epistolam, quæ in nonnullis locis publice legitur.* De posteriori ibidem meminit sanctus Doctor his verbis: *Fertur & secunda ejus nomine epistola, quæ a veteribus reprobatur*; quam licet Hieronymus, & ante illum Eusebius ab antiquis reprobatam dixerint, ideo reprobatam dixerunt, quia non æque ac priorem acceptam, & ideo non æque acceptam, quia a plerisque ignoratam, sive in dubium vocatam, ac propterea ab aliis silentio prætermissam.

Illam

illam plane Clementis genuinum opus esse luculento examine probat Cotelerius in suis notationibus, eandemque, licet posterior vulgari sensu appelletur, tamen ante priorem scriptam fuisse animadvertit. Hæ Clementis epistolæ ad recentiora ferme tempora in oblivione sepultæ jacuerunt, donec anno salutis sexcentesimo tricesimotertio supra millesimum, ut notant Philippus Labbeus in tomo primo de scriptoribus ecclesiasticis, & Casimirus Oudinius in supplemento, in Anglia studio Patricii Junii græce & latine editæ sunt ex laceris reliquiis vetustissimi exemplaris bibliothecæ regis Anglorum.

III. Alias itidem epistolas a Clemente conscriptas innuit Hieronymus in libro primo adversus Jovinianum capite septimo, ubi de spiritualibus eunuchis loquens: *Ad hos* (ait) *Clemens scribit epistolas, omnemque pene sermonem de virginitatis puritate contexuit*: verum an diversæ fuerint hujusmodi a præfatis epistolæ, incertum est; conjicit tamen Cardinalis Baronius ad annum nonagesimumquintum sancti Epiphanii testimonio, qui plures encicly cas Clementis epistolas memorat, dum Hieronymus tradit Clementem in suis epistolis omnem pene sermonem de virginitatis puritate contexuisse, fane compertum fieri, diversas ab iis esse illas, quæ hodie titulo Clementis inscriptæ sunt, in quibus nulla est de virginitate instituta tractatio.

Ad

IV. Ad cetera hinc Clementis nomine edita scripta quod attinet, Constitutionum libros perperam Clementi Papæ adscriptos fuisse, nec ab apostolis unquam profectos Cotelerius observat: & licet inter supposititia Clementis opera adnumerentur, haud tamen, ut ait Epiphanius ad hæresim tricesimam, sunt reprobati: sed sicut aliqua in eis hæretici (eodem Epiphanio teste) nequiter interpretati sunt, ita etiam, ut canon secundus sextæ Synodi docet, ab eisdem multa fuere corrupta, & quædam reipsa ex græcis fontibus effluxisse putat Baronius ad annum centesimumsecundum. Verum quoto æræ Christianæ sæculo Constitutionum libri lucem primo conspexerint, quem habuerint parentem, quem corruptorem, quibusve in locis fuerint depravati, ambiguum est; hoc tantum pro certo habui primum illorum scriptorem post tempora apostolica, & ante Epiphanium vixisse, quum illorum ipse meminerit; sed an propior illis, vel huic fuerit, ignoratur.

V. Quoad Canones apostolorum, pro extrema parte Constitutionum haberi, non autem illis postea additos fuisse indicat satis contextus, series, & clausula totius operis. At quomodo a Romana ecclesia quæ in eisdem decreta sunt, fuerint recepta, & quæ a Gelasio Pontifice ut apocrypha rejecta, deque eorum numero, de quo plurima inter antiquos dissensio fuit, consule Cardinalem Baronium,

nium, qui fuse & perdocte rem agit.

VI. Recognitionum libros pseudo-epigraphos itidem esse atque apocryphos recentiorum plures existimant: hi multifariam ex toto, & ex partibus vel a Clemente, vel a Petro inscripti sunt: a Clemente *Recognitiones Clementis*, *Itineraria*, *Gesta*, *Historia*, *Chronica*, aliove id genus nomine appellantur: a Petro *Petri Periodi*, *Itinerarium*, *Petri Actus*, necnon *Disputatio Petri cum Appione*. Eosdem libros sæculo secundo in lucem prodiisse ferunt, atque a viro quidem docto compositos fuisse, sed philosopho magis ac philologo, quam theologo, in excogitandis vero connectendisque fictis narrationibus plane rudi, nec, ut aliquorum opinio fuit, eundem Constitutionum auctorem habuerunt. Plura ibi de Petro, de Clemente, ejusque parentibus, & fratribus, deque eorum variis casibus, cum plurima sermonum & dialogorum congerie adseruntur, quæ omnia, etsi apud aliquos immerito fidem adepta sint, prorsus tamen inter aniles fabulas rejiciuntur.

VII. Accedit ad eorum tituli varietatem, eorumque fidem minuendam multo majoris momenti diversitas textus ac perversio; variæ quippe & miseris modis opus hoc distractum, divisum, interpolatum, auctum, minutum, atque in compendium redactum fuit: necnon per hæreticos primum Ebionæos, deinde Eunomianos multis insertis

erroribus corruptum & depravatum: quorum partem tollere labor exstitit tum Rufini Aquilejensis presbyteri ejus e græco idiomate in latinum optimi interpretis, quum illius, qui epitomem concinnavit. Omnes Recognitionum libros pereruditа analysi perstringit Nicolaus Nourrius in Apparatu ad bibliothecam maximam veterum Patrum dissertatione undecima, ubi juxta antiquos primum, mox recentiores scriptores eorum auctoritatem expendit.

VIII. Libro Clementinorum, quem Cotelerius ex pernobili codice antiquo charactere manu exarato bibliothecæ regiæ titulo Clementis inscripto in lucem emisit, ea congruunt, quæ de Recognitionibus explanavi; in illo nanque superius scripta de Clemente, ac de Petro collecta sunt, & viginti homiliis seu libris constat, ac tribus prologis, ubi plura eadem, quæ in Recognitionibus, repetuntur: & adeo in multis similia sunt Clementina Recognitionibus, ut illa Francisco Turriano existimatum sit aliam esse editionem; nonnulli tamen Petri Periodos a Clementinis distinxerunt. Inter prologos præter epistolam Petri ad Jacobum fratrem Domini cum ejus Contestatione, epistola Clementis ad eundem Jacobum adnumeratur gemina constans versione. Duplex de hac epistola veterum fuit sententia: prima Rufini in præfatione ad libros Recognitionum, qui post illos scriptam putat: altera Photii in bibliotheca, qui

eam

eam esse illius operis dedicationem opinatur; quæ autem certior sit, Cotelerius in suis notationibus examinavit, ubi posteriorem amplexus est.

IX. De Clementina epitome, utpote Recognitionum operis compendium est, nova subjicere haud duxi; ibi enim quæ sunt in libris Recognitionum, & Clementinorum tum de Petro quum de Clemente continentur, summatim perstricta sunt: adjecta tantum animadverti post epitomem reliqua, quæ non habet epitomes, sancti Pontificis gesta, nimirum de Sisinnio, & Theodora ad Christianam fidem perductis, necnon de ejus exsilio, & passione, ceteraque de maris recessu, & pueri miraculo. Hæc singulari illius, qui epitomem concinnavit, opera superaddita esse putavi, ejusque auctorem Simeonem Metaphrastem fuisse arbitratus est Cotelerius; qui deinde omnia illa in epitome Metaphrastis studio subjecta, eadem pene versione, auctore itidem Metaphraste, seorsim habet græce & latine post epitomem ex veteri codice bibliothecæ regiæ *Sancti Clementis Martyris* nomine inscripto.

X. Demum quoad apostolicam Liturgiam Clementis titulo circumlatam, traditio est apud antiquos, Clementem, quem acceperat a sancto Petro sacrificium offerendi ritum, Romanæ ecclesiæ scriptis consignatum reliquisse, cui traditioni adstipulantur Proclus Constantinopolitanus episcopus,

Bessarion Cardinalis, aliique Græcorum, qui de sacris ritibus commentarios scripsere. Alii vero per Liturgiam, ut notat Baronius ad annum ipsum centesimumsecundum, intelligi putarunt quæ de eodem missæ sacrificio in Constitutionum libris continentur.

XI. De sancti Clementis operibus late dissferunt, præter laudatum Baronium, Cardinalis Bellarminus, Antonius Possevinus, Franciscus Turrianus, aliique tam veteres quam recentiores de scriptoribus ecclesiasticis disputantes, quorum etiam nonnulli Clementi Pontifici alia, præter epistolas Corinthiis nuncupatas, adjudicant. Quos inter Lambertus Gruterus Venradius vir optimæ & lectissimæ literaturæ in præfatione de veritate quorundam scriptorum sancti Clementis, quæ prostat in tomo altero bibliothecæ maximæ veterum Patrum, omnem movit lapidem nervosque omnes intendit ut Recognitionum libros, apostolorum Canones, aliaque scripta Clementi Papæ vindicaret, quam provinciam Venradium revera inconsulto, & ab errore occupatum aggressum suisse nemo non videt.

CA-

CAPUT III.

De Scriptoribus vitæ sancti Clementis Papæ & Martyris.

I. PLURES olim illustris notæ auctores sancti Clementis præclara gesta literis tradidisse eruditorum neminem latet: idcirco aliqua de illis, & primum de Johanne diacono eorum antiquiori hic delibare consultum putavi. Scriptionem ergo Clementis vitæ adorsum primo fuisse compertum est Johannem * Romanæ ecclesiæ diaconum Anastasio Bibliothecario familiarem, qui & aliam Gregorii Magni ante ejus opera passim præmissam quatuor libris confecit. Illam vero morte præreptum imperfectam * reliquisse satis dolet Gaudericus * Velitrensis episcopus in præfatione infra subnectenda, quo petente, eandem scribere se profitetur Johannes in fine postremi libri vitæ sancti Gregorii: *Ego tamen* (inquit) *divinæ spei fiducia roboratus, quia Gaudericus episcopus Veliternus expostulat, ad Clementem Romanæ sedis antistitem suffragante Domino stylum convertam*. Imperfectam itaque Gaudericus absolvit, & in

* Quidam cognomento tradunt deinde Romanum Pontificem fuisse nomine Johannem VIII.

* Alii falso ferunt absolvisse & Baron. in notis Martyrologio ad diem 23 Nov. haud recte existimat illum esse, quem Mombritius habet in Actis.

* Alii Gaudericum vocant, aliis Ladericum; hic subscripsit Concil. Romano sub Hadriano II, & Johannis VIII in Galliis Legatus ad Carolum Calvum Regem accessit.

& in tres libros distribuit; eandemque mutilam olim ab Ughello se accepisse testantur Bollandiani in tomo secundo mensis Martii ad diem nonam in Actis sanctorum Cyrilli & Methodii, ejusque præfationis maximam partem ad Johannem VIII. Pontificem nuncupatæ publici juris primum fecerunt, & integram postmodum edidit vir insignis eruditionis Johannes Mabillonius in tomo primo Musei Italici parte altera, unde totius operis compendium, & auctoris idea depromitur: eamque, ut legimus, huc adserre lubet; cujus inscriptionis caput est:

Gauderici episcopi Veliterni ad sanctissimum Papam Johannem sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ ecclesiæ in vitam sancti Clementis Papæ præfatio.

Deinde incipit:

„ Domino semper beato, summo Pontifici, &
„ universali Papæ Johanni, Gaudericus episco-
„ porum novissimus perenne gaudium in Domino
„ Jesu Christo. Dignum esse putavi ad honorem
„ & laudem tui prædecessoris beati Clementis Mar-
„ tyris atque Pontificis aliqua de genere vel vita
„ ipsius, Deo institutore, in unum colligere: &
„ quam generosa fuerit oriundus prosapia, quam-
que

„ quæ philosophando contra idola disputans di-
„ vino præsagio veritatem cognoverit, enucleatius
„ invenire; præsertim quum ego valde inutilis
„ hujus eximii Martyris Christi ecclesiæ apud Ve-
„ liternam oppidum sitæ præfuerim. Jam quia
„ meritum mihi non suffragatur, vel amoris &
„ studii mei affectus, quem erga servitia ejus pos-
„ sideo, eum mihi propitium facere, ut aliquan-
„ tulum pro peccatis meis, adjuvante Domino,
„ intercessor exsisteret: hujus rei gratia quen-
„ dam olim Johannem diaconum cognomento
„ Hymonidem virum peritissimum postulavi, quia
„ multa legerat, parva ex iis ad ædificationem
„ multorum colligere, & quæ forte nonnullis com-
„ perta non erant, ipse relegens breviter referare.
„ Quod ille meis precibus humiliter satisfaciens,
„ cœpit quidem a genealogia ejus perstringere,
„ & quæ legerat vel expertus fuerat, liquido coar-
„ tare. Sed quominus ad conclusionem hujus opu-
„ sculi scriptitans pervenisset, hunc Dominus ab
„ hoc sæculo morte, quam ipse permisit, præven-
„ tum, ad æternam quietem vocavit. Cujus ego
„ pedissequus adspirante Deo exsistens, hoc quod
„ deerat non tam strenue quam devote collegi, &
„ in tribus libris conglutinans ordinavi. In primo
„ siquidem libro Clementis genus, patriam, nati-
„ vitatem, institutionem, propositum, vitam,
„ conversionem, & qualitatem recognitionis ejus
in-

„ innuimus. In secundo vero Deo auxiliante pro-
„ funditatem doctrinæ, dignitatem episcopalis api-
„ cis, auctoritatem singularis Pontificatus, & au-
„ daciam contra idola sophisticè disputantis subdi-
„ dimus. Ast in tertio prodigia, exsulationis angu-
„ stias, martyrii laureas, reversiones ejus ad pro-
„ priam sedem post plurimos annos, & miracula
„ colligere procuravimus; quatenus qui multos
„ libros aut habere nequeunt, aut habitos perscru-
„ tari contemnunt, istorum compendio, qui intum
„ pertinet ad præsens negocium, non incongrue
„ fulciantur. Quapropter, summe Pontificum,
„ sanctimoniam tuæ paternitatis deposco, ut hæc
„ eadem studia nostra, quæ non nostro libitu, sed
„ auctoritate veterum probabiliumque virorum de-
„ cerpsimus, approbans, si in his aliquid dignum
„ correptione repereris, tu Pater beatissime corri-
„ gas, quatenus te præceptore & judice, alienis
„ judiciis non submittatur; & qui tibi forte non
„ displicemus, aliis super hoc opere placeamus,
„ quia nos, ut meminimus, quæ vidimus, & legi-
„ mus ipsius Christi Martyris sui orationibus col-
„ ligentes transcripsimus, & ad laudem Dei omni-
„ potentis ex multis paucissima defloravimus,
„ præstante eodem Deo nostro & Domino Jesu
„ Christo, cui est honor & gloria, potestas &
„ imperium per infinita sæcula sæculorum.
„ Amen.

Hacte-

II. Hactenus Gaudericus in præfatione; unde superius allata de Johanne diacono innotescunt. Hinc etiam proditum fit Gaudericum in hac sancti Clementis vita & quæ Johannes collegerat disposuisse, & alia quæ deesse videbantur adjecisse. Verum pluta ex Recognitionum libris, & ab eorum auctore in primo, & altero libro collecta esse, quibus Johannes, & Gaudericus immerito fidem adhibuerunt, satis superque ipsa præfatio significat. Tradit enim Gaudericus *se innuere* in primo libro *genus, patriam, nativitatem, institutionem, propositum, vitam, conversionem, & qualitatem recognitionis Clementis*; historiæ namque Recognitionum inhærendo, ejusque rerum servando seriem, primum Clementis illustre genus, & patriam, miram conversionem, variaque ejus itinera Alexandriam, ubi Barnabam, Cæsaream, ubi Petrum, & fratres reperit, atque alia plura, quæ de Petro, & de Clemente ab antiquis falso vulgata sunt, indicat se describere, omnemque priorem hunc librum ad finem usque Clementis patris, matris, ejusque fratrum recognitionem perducere.

III. In secundo libro, ubi ait *subdidisse profunditatem doctrinæ, dignitatem episcopalis apicis, auctoritatem singularis Pontificatus, & audaciam contra idola sophisticæ disputantis*, Recognitionum itidem testimonio ex parte innixus, recognitis a Clemente parentibus, ac fratribus,

bus, occasione conversionis Faustiniani patris, philosophicas plures, aliasque disputationes & narrationes in libris Recognitionum Clementis nomine confictas subnectere monet, iisque propterea ejus *doctrinæ profunditatem* ostendere. Quæ inter cæsum refert fabulosæ commutationis vultus ejusdem Faustiniani opera Simonis magi, filiis ejus undequaque admirantibus: atque hæc omnia Gaudericus sane commenticia ex toto Recognitionum opere, ac proinde ex corrupto fonte eduxit. Deinde Clementis in Pontificem innuit electionem, quem Petrus successorem vocavit; mox secundum hunc librum absolvit, Clementis gesta (ut auguror) donec Pontifex Romanæ ecclesiæ præfuit, ex probatis auctoribus describendo, pluraque ejus miracula, & Gentilium conversiones ad fidem recensendo, quibus invictam sancti Præsulis *audaciam contra idola sophistice disputantis* commendat.

IV. Ad tertium librum quod spectat, in quo se profitetur *collegisse prodigia, exsulationis angustias, martyrii laureas, atque revelationes ejus ad propriam sedem*, totam ei fidem adhibendam esse putavi, quum ex incorruptæ auctoritatis scriptoribus hæc omnia eruisse asseri valeat, & reipsa iis omnibus, quæ superius descripta sunt, consentire posse videantur. Sed multo magis postremæ hujus operis parti fidem præstandam esse existimo, & quicquid ibi scriptum est velut consonum veritati amplecten-dum,

dum, ubi memorat sancti Pontificis *reversiones ad propriam sedem, & miracula collegisse*. Horum nanque oculatus testis fuit Gaudericus, dum ait: *Quia ut meminimus, quæ vidimus, colligentes transcripsimus*; monet siquidem *se vidisse* corporis sancti Antistitis translationem Chersona Romam opera sancti Cyrilli alio nomine Constantini Philosophi sub Hadriano II. Johannis VIII. præcessore, necnon mirabilia, quæ apud Chersonam acciderant in ipsa corporis inventione, forte ab eodem Cyrillo audita *se meminisse*, ac scriptis tradere fatetur.

V. Hanc igitur sancti Clementis vitam a Gauderico conscriptam cum ejus præfatione ad Johannem VIII. in celebri Casinensi bibliotheca Langobardico charactere manu exaratam, sed mutilam etiamnum servari exploratum habui a reverendissimo abbate atque erudito viro Johanne Baptista del Miro Casinensi monacho, secundo Vaticanæ bibliothecæ præfecto: totum enim tertium librum, & secundi partem desiderari ægro animo audivi, quum tantum vetus ejus codex nonnisi totum primum librum, & secundi maximam partem complectatur, cujus postrema verba hæc esse accepi:
„ Clemens vero Niceta, & Aquila filii eorum in
„ commutatione patrii vultus mirantes, quasi atto-
„ niti, vel amentes manebant, nec quid rei esset,
„ perspicue intelligere poterant. Anubio cunctis
„ mœrentibus veluti mutus stabat; tum Petrus

„ filios utrorumque mœrentes . . . .
quibus verbis Gaudericus ex decimo Recognitionum libro commenticium casum enunciat commutationis vultus Faustiniani Clementis patris, in quem Niceta, & Aquila Clementis fratres (alias Faustinus, & Faustus) respicientes, admirabantur.

VI. Verum tertii hujus libri postrema pars, scilicet *corporis sancti Clementis translationis narratio*, quam se scripsisse significat Gaudericus, temporis injuriæ & direptionum ablata servatur in vetusto codice apud Franciscum Duchesnium Parisiensem Senatorem, cui titulus est: *Incipit translatio corporis sancti Clementis Martyris & Pontificis*; eamque Bollandiani in tomo secundo mensis Martii in sæpe laudatis Actis sanctorum Cyrilli & Methodii typis vulgarunt. Hanc ejusdem Gauderici opus, & quidem præfatæ, quam scripsit, vitæ sancti Clementis postremam partem esse vehementi conjectura memorati auctores affirmant, quibus & recens scriptor vir perdoctus Tillemontius in suis memoriis historicis tomo altero de sancto Clemente Pontifice articulo quinto consentit. Ejus autem exordium est: „ Tempore igitur quo Michael Imperator novæ Romæ regebat Imperium fuit quidam vir nobili genere, civitate Thessalonica ortus, vocabulo Constantinus &c. „ ibique longa serie refertur translationis historia, notantur miracula, quæ in inventione corporis acciderunt, corporis

poris Romam adventus, Hadriano II. Pontifice, describitur, & alia plurima enarrantur, quæ Gaudericum vel partim vidisse, vel ab eodem Constantino partim audivisse credibile admodum est. Hæc itaque habent Bollandiani: „ Haudquaquam dubium nobis videtur, quin ea narratio inventionis „ sancti Clementis, quam nobis suppeditavit Duchesnii codex ex illo tertio libro de ejusdem „ sancti Clementis Pontificis rebus gestis a Gauderico episcopo composito decerpta sit, & fortassis „ contracta. Ipse certe se reversionem sancti Clementis ad propriam sedem, factaque tunc miracula collegisse fatetur, quæ spectasse videtur sub „ Hadriano II. Johannis VIII. decessore facta, quorum & huic narrationem dicat.

VII. Horum sententiæ libenti animo fero suffragium; postquam enim Gaudericus in tertio libro primum *prodigia*, deinde *exsulationis angustias*, ac *martyris lauream* de sancto Pontifice meminit (quæ in codicibus Casinensi, & Duchesniano desiderantur) demum ad ejus corporis translationem ultimo loco describendam se descendere profitetur: quumque ideo hæc, quam præbet Duchesnii codex, translationis historia, Gauderici præfationis ultimæ parti omnino respondeat, ejus quidem opus illam esse putavi, quin & ab ipso Casinensi codice olim forte distractam, quandoquidem quum plura in illo deficiant, & inter cetera postre-

ma

ma hæc pars de translatione corporis, atque in Gallia tantum apud Duchesnium reperiatur, idcirco nonnisi ab eodem Casinensi codice avulsam fuisse conjeci. Ceterum quod saltem ejusdem Gauderici opus fuerit, ejusque historiæ extrema pars, si non eadem a Casinensi codice distracta, adstipulatur styli æqualitas cum ipsa præfatione collati. Accedit quod quum ex antiquioribus duntaxat Gaudericum longiori calamo sancti Clementis vitam, ejusque corporis translationem scripsisse palam sit, propterea hic Duchesnii codex reliquum Gauderici operis esse credatur. Additur etiam, hæc omnia, quæ in hac translationis historia referuntur, nonnisi ab oculato teste, atque ab illius temporis scriptore tradi posse; quapropter quum tantum Gaudericus oculatus testis fuerit, atque illius temporis auctor, qui eandem translationem in vita sancti Clementis literis commendavit, ideo ejus opus esse merito existimetur. Confirmat denique has omnes, quas præmisi conjecturas, ipsius Duchesnii codicis nequaquam mutili clausula, quæ totius operis, quod Gaudericus in præfatione pollicitus fuerat, exactam absolutionem suadet. Enimvero sub finem hujus extremæ partis Gaudericus, postquam sacri corporis depositionem narravit, ad Cyrillum & Methodium sermonem convertit, ibique Cyrilli obitum lamentatus, ejus corpus in basilica sancti Clementis (ubi & illud sancti Pontificis depo-

sue-

fuerat) sepultura donatum fuisse testatur, totamque historiam his verbis absolvit: „ Posuerunt corpus
„ ejus in monumento ad id præparato in basilica
„ beati Clementis cum hymnis & laudibus gratias
„ Deo agentes, qui in loco eodem multa & mi-
„ randa operatur ad laudem & gloriam nominis
„ sui per merita & actiones Sanctorum suorum,
„ qui est benedictus & gloriosus in sæcula sæcu-
„ lorum. Amen. Hæc de Gauderico Velitrensi episcopo sancti Clementis vitæ scriptore; de quo fuse meminisse, ejusque opus expendere rei gravitas petebat, & quæ infra de sancti Pontificis corpore dicenda erunt, magnopere postulant; unde plura, quæ obscura sunt, monumenta patebunt.

VIII. Proximo deinde sæculo, Sixto V. sedente, ejusdem sancti Præsulis vitam Italico idiomate scriptis mandavit Paullus Regius episcopus Vicæquensis (quem Cardinalis Baronius in suis notationibus ad Martyrologium Romanum sæpenumero laudat) in parte prima operum spiritualium de Vitis Sanctorum Regni Neapolitani, illamque, ut idem auctor fatetur capite quadragesimo quarto, ex Recognitionum libris collegit, & omnia ibi, quæ in primo atque altero libro in allata præfatione se *ordinasse* indicat Gaudericus, ex eodem etiam Recognitionum cœnoso gurgite Paullus Regius descripsit, ac cetera, quæ de Petro, de Clemente, aliisque feruntur commenta, ut historicam veritatem exposuit.

Mox inferius attingit quæ in Pontificatu operatus gessit, hinc martyrium, miracula, & corporis translationem paucis perstringit.

IX. Plura de sancto Pontifice, nimirum de ejus pastorali solicitudine, exsilio, passione, & miraculis habent Simeon Metaphrastes, Mombritius, Petrus de Natalibus, Jacobus a Voragine, atque alii superius laudati, necnon sanctus Ephræm Chersonis episcopus, qui panegyrica narratione pueri miraculum scripsit: quam & Surius latine habet ad diem vicesimamtertiam Novembris, illamque Cotelerius latine pariter & græce cum ejusdem martyrio post Epitomem Clementinam in tomo altero meliori luce donavit. Manuscripta græce servatur sancti Clementis vita, teste Oldoino in libro de Clementibus, Florentiæ in amplissima bibliotheca Medicea, Messanæ, Monachii, & in celebri Scorialensi Hispaniarum cœnobio.

CA-

CAPUT IV.

Quanto in bonore sancti Clementis Papæ sollemnitas ac memoria apud veteres & recentiores Pontifices habita sit.

I. HACTENUS præmissa liquido ostendunt quam fuerit apud antiquos sancti Clementis celebre nomen, qui ut ejus præclara gesta vulgarent, adeo literis operam adhibuerunt. Huc spectant plurima insignis notæ, quæ sparsim in tota Europa, ne dicam in toto orbe extructa sunt monasteria ejus nomini sacra, necnon plures undique basilicæ vel antiquitate vel mole spectabiles (quarum singillatim meminisse difficile esset & longioris operæ) quæ veterum pietatem erga sancti Clementis memoriam satis superque testantur. Præcellit tamen, & merito Romanæ ecclesiæ diuturna religio, quæ quantum huic sanctissimo suo Præsuli debeat, superius tradita evincunt.

II. Ad illam magnopere augendam itidem attinet pernobile Christi Domini monumentum, quod urbs Roma etiamnum sancti Pontificis cura servatum agnoscit. Scribit Marianus Scotus in suo

chronico ad annum tricesimumnonum, quod sanctissima mulier Veronica Tiberio Cæsare Romam profecta, & imaginem sacratissimi sudarii Tyro delatam secum ferens, *Veronicam* idcirco vulgari sensu appellatam, ut ex bullis Pontificum Nicolai IV. Clementis VI. VII. & VIII. ac Gregorii XIII. colligit Johannes Bollandus ad diem quartam Februarii, eam morti proxima sancto Clementi custodiendam reliquit (quicquid sit de quorundam recentiorum opinione, qui Veronicæ vocabulum imaginis tantum, & non mulieris esse contendunt, tracto inde etymo, quasi *Vera Icon* diceretur, seu *Iconia*, & contractis in unum vocabuli literis, *Veronica*). Hæc itaque sacra effigies a sancto Clemente, ejusque deinde successoribus digno semper cultu servata, Constantino Magno imperante, in Vaticanam basilicam translata fuit, & de hac translatione exstat, teste Baronio ad annum tricesimumquartum, MS. codex in Vaticana bibliotheca. Id confirmat Jacobus Philippus Bergomas in Supplemento ad chronicum ad annum Christi quadragesimumquartum: „ Ipsa autem imago (inquit) panniculo sic impressa Clementi Pontifici, & successoribus ejus ab eadem ex testamento declarata, „ nunc usque ibidem in beati Petri templo a Christifidelibus maxima cum religione invisitur. Quibus consonat chronicum alterum Juliani Petri archipresbyteri sanctæ Justæ ex bibliotheca Olivarensi

rensi editum ad annum nonagesimum, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Galesinius in Martyrologio, & Florarium MS. Sanctorum penes Bollandum.

III. Verum plane exploratum est magno semper in pretio sancti Clementis memoriam a Romana ecclesia omni sæculo habitam fuisse, eique debitum venerationis obsequium jugiter præstitum esse, & adhuc in dies præstari. Quo ad veteres Romanos Pontifices, apud antiquum manu exaratum codicem archivi basilicæ Vaticanæ, auctore Petro Mallio ejusdem basilicæ canonico, qui Alexandro III. Pontifice claruit, eo in honore sancti Clementis festivitatem habitam esse comperi, ut inter insigniores ecclesiæ sollemnitates, nimirum Nativitatis Christi Domini, Ascensionis, sancti Petri, aliasque plures, quibus Pontificum coronationes fieri mos erat, sancti Clementis Papæ festus dies etiam adscriberetur. In Ordinario itidem Jacobi Cajetani cardinalis, quem Mabillonius in tomo secundo Musei Italici in lucem eduxit, legenda occurrit inter dies atque sollemnitates, quibus olim Romani Pontifices a consistoriis abstinere consueverant, sancti Clementis festivitas, quæ super alias singulari nomine ornatur. Plura deinde quo ad priscam ætatem opportuniori loco disputanda supersunt, quum de basilica sermonem aggrediar.

IV. Ad recentiores quod spectat, Clementem VIII. Principem optimum summo in cultu sancti Clementis memoriam habuisse ex eo etiam proditum est, quod in aula majori Vaticana sanctissimi Martyris demersionis historiam mirifice coloribus exprimi curaverit; quam antiquiorem intuemur in oratorio sancti Pancratii basilicæ Lateranensis, cujus concameratio vario picturarum genere illustrata, excellenti inter alias colorum opere elaboratam sancti Præsulis exhibet demersionem. Huic demum accedit insigne, quod nos admiramur in maximo Pontifice Clemente XI. erga sanctissimi Clementis memoriam publicæ venerationis argumentum. Quotannis enim recurrente sancti Martyris festiva die, qua felici auspicio tota exsultante Urbe, totoque orbe plaudente Pontificatus fastigium ascendit, ac propterea in ejus cultum Clementis accepit nomen, ad ipsius basilicam miro procerum, & populi cœtu sacrum corpus veneraturus proficiscitur; atque in dies ampliori ejusdem ornamento vehementer incumbit, pluraque imposterum tanti Principis spectata pietas pollicetur.

CA-

CAPUT V.

De inventione & translatione corporis sancti Clementis Papæ Romani, ejusdemque depositione in basilica ejus nomini sacra.

I. VENERABILE sancti Clementis sepulcrum in medio maris angelorum ministerio constructum fuisse satis superius scripta testantur; modo scribendum est, quandiu corpus ejus ibi conditum quieverit, & quo tempore longam post plurium sæculorum seriem inventum, ac inde Romam translatum, in basilica ejus nomini sacra fuerit depositum. Inventionis & translationis hujus historiam, quam laudatus Gaudericus Velitrarum episcopus literis consignavit, ex allato Duchesnii codice in medium educendam existimavi, ut hæc nimirum oculati testis auctoritate plura, quæ tunc evenerunt miranda scribentis, firmioris fidei pondus obtineat.

II. Verum prænotandum duxi hominem, cujus opera inventum atque translatum fuit sacrum cor-

corpus, promiſcue & Cyrillum & Conſtantinum nomine nuncupari, cognomento Philoſophum., quem Petrus de Natalibus in Catalogo, necnon ſanctus Antoninus in Chronico *Philippum* perperam vocant; quod ſane ne cuipiam obſcuritatis periculum inferat (ut aliquibus intulit, qui Cyrillum & Conſtantinum duos fuiſſe crediderunt) utque auctorum teſtimonia conſiſtant, in dubium revocari minime poteſt. Cur autem Conſtantinus dictus fuerit agnomine Philoſophus, proditum eſt ex eodem Gauderico his verbis: „ Fuit quidam vir nobili ge„ nere, civitate Theſſalonica ortus, vocabulo Con„ ſtantinus, qui ob mirabile ingenium, quo ab „ ineunte infantia mirabiliter claruit, veraci no„ mine Philoſophus eſt appellatus &c. Deinde prope finem: „ Quum Philoſophus qui & Conſtan„ tinus diem tranſitus ſui imminere ſibi ſenſiſſet, „ ex conceſſione ſummi Pontificis impoſuit ſibi no„ men Cyrillum, dicens hoc revelatum ſibi fuiſſe; unde itidem liquet quomodo Conſtantini nomen poſtea in alterum Cyrilli mutaverit.

III. Inventionis itaque ac translationis hujus narrationem partim ipſiuſmet Gauderici verbis, partim ſolo auctoris ſenſu, prout poſtulat ratio, ad fidem hiſtoriæ vehementius conciliandam ſummatim ita perſtringere aggredior. Temporibus Michaelis Orientis Imperatoris circa annum ſalutis octingenteſimum ſexageſimum, quum nobilis ac pius

ſa-

sacerdos Constantinus Philosophus ad Chazaros * Imperatoris jussu profectus Chersonam accessisset Chazarorum regioni proximam, ubi linguam discendi gratia paullo demoratus est, inspirante Deo, de corpore sancti Pontificis Clementis perscrutari cœpit: quumque ideo terræ habitatores sciscitatus fuisset, se id nescire professi sunt; siquidem miraculum marini recessus ob culpam inhabitantium jam diu cessaverat, & ob incursum barbarorum templum destructum fuerat, & arca cum corpore marinis fluctibus obruta. Quare dolens atque admiratus Philosophus ad civitatem accessit, & ejus episcopum, ut sacri corporis inventioni operam exhiberet, efflagitavit. „ Quadam autem die (verba sunt Gauderici) tranquillo mari navem ingressi, „ Christo duce, iter arripiunt, prædictus videlicet „ Philosophus cum episcopo nomine Georgio, ac „ venerabili clero, necnon cum nonnullis de populo. Navigantes igitur cum ingenti devotione „ ac fiducia, psallentes & orantes pervenerunt ad „ insulam, in qua videlicet æstimabant sancti Martyris corpus esse. Eam igitur undique circundantes & multo luminum splendore lustrantes, „ cœperunt magis ac magis precibus sacris insistere, & in acervo illo, quo tantum thesaurum „ quiescere suspicari dabatur, curiose satis & instantissime fodere. Ubi diu multoque desiderio „ sancto cunctantibus tandem ex improviso velut quod-

* *Chazaria* regio Europæ Alanis & Ursis haud procul à Mæotica palude ancolis finitima, unde dicti *Chazari* populi, quorum meminit Porphyrogeneta.

„ quoddam clarissimum sydus, donante Deo, una
„ de costis Martyris pretiosi resplenduit. Ad quod
„ spectaculum omnibus inmensa exsultatione re-
„ pletis, magisque ac amplius sine aliqua jam exci-
„ tatione terram certatim eruderantibus, sanctum
„ quoque caput ipsius consequenter apparuit &c.
„ Quum ecce post paullum rursus quasi ex quibus-
„ dam abditis sanctarum reliquiarum particulis
„ paullatim & per modica intervalla omnes re-
„ pertæ sunt. Ad ultimum quoque etiam ancho-
„ ra, cum qua in Pontum est præcipitatus, appa-
„ ruit. Deinde: „ Celebratis ibidem a sancto
„ pontifice sacrosanctis mysteriis, ipsemet sanctus
„ vir super proprium caput sacrarum reliquiarum
„ loculum levans, ad navim detulit, deinde Glo-
„ riam (*vel potius Georgiam*) metropolim trans-
„ portavit. Inde quum mane factum esset, uni-
„ versa civitatis multitudo conveniens, assumto
„ sacrarum reliquiarum loculo, totam cum magnis
„ laudibus lustraverunt urbem, & sic ad majorem
„ basilicam venientes, in ea ipsum honorifice loca-
„ verunt.

IV. Hactenus sacri corporis inventione de-
scripta, mox Gaudericus iter enuneiat, quod habuit
Philosophus Constantinus ad Chazaros, quod brevi
temporis intervallo totam illam regionem admira-
bili opera ad Christi fidem perduxit. Postmodum
notat, quod reversus Constantinopolim, iterum
Impe-

Imperatoris jussu ad annunciandum ethnicis Christi euangelium egressus est, & assumto secum Methodio fratre, ad Slavos in Moravia se contulit: „ Quumque ad partes illas (ait ipse) Deo præparante venisset, cognoscentes loci indigenæ adventum illorum, valde gavisi sunt, quia & reliquias divi Clementis secum ferre audierant. Hinc subdit, quum ibi quatuor annorum spatio unanimiter Constantinus & Methodius fratres pro catholica fide laboraverint, omnes demum regionis incolas Christi Domini euangelium amplexos fuisse.

V. Et infra de translatione Romam hæc habet: „ His omnibus auditis gloriosissimus Papa Nicolaus mandavit & ad se venire illos literis apostolicis invitavit. Sed quum non multos ante dies transiisset ad Dominum, secundus Hadrianus, qui illi in Romano Pontificatu successerat, audiens quod præfatus Philosophus corpus beati Clementis, quod studio suo reppererat, secum deferret, valde nimis exhilaratus est, & extra Urbem cum clero & populo procedens obviam illis, honorifice satis eos recepit. Postea miracula in ejus adventu peracta subjiciens: „ Cœperunt itaque (inquit) ad præsentiam sanctarum reliquiarum per virtutem omnipotentis Dei sanitates mirabiles fieri, itaut quovis languore quilibet oppressus fuisset, adoratis pretiosi Martyris reliquiis sacro-

„ sanctis, protinus salvaretur. Quapropter tam „ venerabilis Apostolicus, quam & totius Romani „ populi universitas gratias & laudes Deo maximas referentes gaudebant & jucundabantur in „ ipso, qui eis post tam prolixi temporis spatia „ concesserit in diebus suis sanctum & apostolicum „ virum, & ipsius apostolorum principis Petri successorem in sede sua recipere, & non solum Urbem totam, sed & orbem queque totum Romani Imperii signis ejus ac virtutibus illustrare. Postremo de sanctis fratribus Cyrillo & Methodio plura verbis complectens: „ Multis itaque (ait) „ gratiarum actionibus præfato Philosopho pro „ tanto beneficio redditis, consecraverunt ipsum, „ & Methodium in episcopos, necnon & ceteros „ eorum discipulos in presbyteros & diaconos; & deinde Cyrilli obitum lamentatur.

VI. Hæc Gaudericus apud Duchesnii codicem de inventione & translatione corporis sancti Clementis, quam profecto, ut res prodit, ab eodem Cyrillo partim audivisse credi potest, & partim ipse vidisse significat; quapropter historiæ hujus veritas maxime augetur. Non igitur in dubium vocari potest an hæc revera opus fuerit Gauderici, ejusque vitæ, quam scripsit sancti Clementis, continuatio, quum id præter superius examinata ejusdem historicæ narrationis scries, & rei sensus satis superque præseferant.

Huc-

VII. Hucusque dictis optime consentit alter, quem proferunt Bollandiani, Blauburani * cœnobii MS. codex de hac sancti Clementis translatione; ubi primum de ejus inventione hæc subjiciuntur: „ Tunc mari divinitus siccato ecclesiam „ sibi dudum consecratam ingreditur (scilicet Con„ stantinus) & corpus sancti Clementis Papæ & „ martyris cum anchora inveniens,& reverenter su„ stollens, quocunque loco ibat secum deportabat. Mox de translatione Romam: „ His omnibus au„ ditis Papa Nicolaus lætus factus super his, quæ „ sibi relata fuerunt, scilicet de conversione gentis „ Bulgarorum, & Moraviæ, & reliquiis inventis „ sancti Clementis, mandavit per literas aposto„ licas illos ad se venire Romam. Qui mox iter „ aggressi applicuerunt Romam, Papa interim „ moriente. Audiens autem Papa Hadrianus „ quod Cyrillus corpus sancti Clementis secum „ deferret, exhilaratus valde cum clero & populo „ procedens illis obviam, honorifice eos cum sacris „ suscepit reliquiis. Et pluribus interpositis: „ Se„ pelierunt autem corpus sanctum in ecclesia, quæ „ in nomine ejus diu antea fuerat constructa. Quod tamen de siccato divinitus mari contra Duchesnii codicem adiicitur, parum, ut arbitror, certæ fidei notam adsequitur.

* Blauburæ seu Blaubyra insigne ordinis Benedictini cœnobium haud procul ab Ulma.

VIII. Id quoque conforme est auctoritati Anastasii Bibliothecarii Gauderici æqualis oculati

itidem testis in vulgata epistola apud Baronium in notationibus martyrologio ad diem vicesimamtertiam Novembris, quam ad Carolum Calvum Francorum regem inscribit kalendis Aprilis indictione octava, scilicet anno octingentesimo septuagesimoquinto, ubi hæc leguntur: „ Vir magnus & apo- „ stolicæ vitæ præceptor Constantinus Philosophus „ Romam sub venerabilis memoriæ Hadriano ju- „ niore Papa venit, & sancti Clementis corpus sedi „ suæ restituit. Hanc insuper translationem, alio licet sedente Pontifice positam, martyrologium Romanum præfata die vicesimatertia Novembris luculenter confirmat: „ Cujus corpus Nicolao I. „ Pontifice Romam translatum, in ecclesia, quæ „ ejus nomini antea fuerat exstructa, honorifice re- „ conditum est. Hinc Cardinalis Baronius etsi in præcitatis suis notationibus ex laudata Anastasii epistola tradiderit Constantinum Philosophum *sub Hadriano juniore Papa Romam venisse, & sancti Clementis corpus sedi suæ restituisse*, in Annalibus tamen ad annum octingentesimum sexagesimum septimum, ut martyrologii, & aliorum inhæreat narrationi, qui sub Nicolao I. Hadriani decessore illud Romam delatum existimant, scribit Cyrillum & Methodium sedente adhuc Nicolao sancti Clementis corpus Romam advexisse, ibique illos ad creationem usque Hadriani permansisse. Verum ad martyrologii, aliorumque

auctorum testimonium, qui sub Nicolao hanc translationem tradiderunt, cum nostra sententia conciliandum, dicendum arbitror (ut etiam indicant præfati MSS. codices apud Bollandianos) superstite adhuc & sedente Nicolao, Cyrillum & Methodium fratres Pontifici obsequentes Romam versus iter cœpisse, ac sacri corporis translationem fuisse inchoatam, eo tamen humanis curis exemto absolutam, & illos Hadriano Pontifice Romam cum venerabili pignore introivisse: quo propterea componi facile potest dissidentium scriptorum opinio.

IX. Ejusdem translationis historiam his omnibus consonam, etsi Nicolao quoque Pontifice positam, Petrus de Natalibus in Catalogo ex Leone Ostiensi summatim enunciat: „ Leo episcopus „ Ostiensis tradit quod tempore Michaelis Impe„ ratoris Constantinopolitani quidam Philippus * „ sacerdos Chersonam veniens, de his, quæ nar„ rantur in historia sancti Clementis, de maris ape„ ritione habitatores interrogavit, qui nihil de hoc „ scire professi sunt, eo quod miraculum cessave„ rat &c. Deinde: „ Temporibus vero (subdit) „ Nicolai Papæ I. corpus ipsum a sancto Cyrillo „ Slavorum episcopo inde sublatum, & Romam „ delatum, atque in ecclesia ejus nomini fabricata „ reconditum est.

* Corrigendum Philippus.

X. Plenius id habet Jacobus a Voragine in sua Legenda centum fere ante Petrum annis antiquior

quior, qui scilicet claruit anno supra millesimum ducentesimo nonagesimosecundo: „Refert Leo Ostien-
„ sis episcopus, quod tempore, quo Michael Impe-
„ rator novæ Romæ regebat Imperium, sacerdos
„ quidam nomine Philosophus &c. eaque omnia repetit, quæ Petrus in Catalogo; mox ait: „ De-
„ inde prædictus Philosophus cum corpore san-
„ cti Clementis Romam venit, & multis ostensis
„ miraculis in ecclesia, quæ nunc dicitur San-
„ cti Clementis, honorifice corpus collocatum fuit.
Ac demum his verbis narrationem absolvit: „ In
„ quadam autem chronica legitur quod mari ab
„ illo exsiccato a beato Cyrillo Moravorum epi-
„ scopo Romam translatum est: quem Cyrillum alium a Constantino Philosopho perperam putat.

XI. Verum memoratæ translationis scriptorem, Leonem videlicet Ostiensem, quem Jacobus a Voragine, Petrus de Natalibus, atque alii citant, illam revera non referre in suo opere, nimirum in Casinensi chronico sæpenumero adverti; quamobrem mihi suspicari licet ipsosmet illam in præfato chronico non legisse. Scio quidem plura recenseri a Petro Diacono Leonis scripta in libro de viris illustribus Casinensibus capite tricesimo, quæ fortassis Voraginensis vidisse credi potest: cetera saltem ab eo citata ejusmodi sunt: *Sermones in varia festa*, *Historia Peregrinorum*, *Vita sancti Mennatis*, atque alia; necnon *Sermo alter*
(cujus

(cujus supra memini) *de ordinatione, sive cathedra sancti Clementis Papæ decimo kalendas Februarii*; hujus initium est: „ Postquam divinæ „ ordinationis providentia beatus Clemens apud „ urbem Romam a beato Barnaba divini verbi „ semina percepit, ac demum beatissimo aposto- „ lorum principi Petro apud Cæsaream junctus, „ plenius ab eo in fide Christi informatus & edo- „ ctus est, & salutaris aquæ baptismo sollemniter „ baptizatus &c. illumque manuscriptum, sed mutilum in monasterio Fossænovæ servari notant Bollandiani, ejusque copiam ab Ughello sibi communicatam habuisse: observant autem unicam tantum inter ea, quæ consequebantur, & a codice avulsa sunt, superesse pagellam; unde illam fortassis putant narrationem fuisse inventionis & translationis corporis sancti Clementis, quam Jacobus a Voragine, & Petrus de Natalibus citant: *Ceterum* (addunt laudati auctores) *cathedræ sancti Clementis, quæ in titulo citati Sermonis coli dicitur decimo kalendas Februarii, nullam ad eum diem reperimus in martyrologiis mentionem*. Ego tamen illam reperi in chronico Piscariensis monasterii sancti Clementis, quod Lucas Acherius in tomo quinto sui Spicilegii vulgavit. Hoc scilicet cathedræ sancti Clementis festum, quod olim Ostiensis etiam ætate vel in Romana ecclesia, vel alicubi peculiari consuetudine fortassis celebrabatur, Leonas Piscarien-

sis

sis cœnobii abbas, Alexandro III. Pontifice, in eodem quoque monasterio annuo cultu celebrandum instituit. Chronici verba in libro tertio hæc sunt: *Similiter fecit* (nempe Leonas) *de festo cathedræ ejusdem gloriosi Pontificis, ut decimo kalendas Februarii celebretur*. Alii tamen non desunt, qui hanc ipsam sancti Clementis translationem palam fecerint & in suis scriptis memoraverint: enimvero sanctus Antoninus in Chronico, Martinus Polonus, Johannes Dubravius historiæ Bohemicæ insignis scriptor, Baptista Platina in Vitis Pontificum, Abraham Bzovius in Annalibus, & breviaria Olomucensis, Pragensis, & Polonicæ ecclesiarum omnia hactenus, quæ translationem spectant, concordi sensu confirmant.

XII. Et licet vetus quidam ecclesiæ sancti Audomari MS. codex itidem apud Bollandianos in lucem editus sancti Clementis translationem aliter atque alio sæculo peractam contineat, cujus historiam a Jaroslao Russorum rege catholico ante annos sexcentum & quod excurrit legatus Henrici I. Galliæ regis acceperat; quum tamen codex ille latis exundet erroribus, ideo ab omni decidit fide. Historiam itaque in hæc verba a codice partim exscripsi: „ Anno incarnati Verbi millesimo quadra- „ gesimooctavo, quando Henricus rex Francorum „ misit in Bastarniam Catalaunensem episcopum „ Rogerium pro filia regis illius terræ, Anna no-
mine,

„ mine, quam debebat ducere uxorem deprecatus
„ est Odalricus præpositus ſanctæ Mariæ Remenſis
„ eccleſiæ eundem epiſcopum quatenus inquirere
„ dignaretur, utrum in illis partibus eſſet Cher-
„ ſona, ubi ſanctus Clemens requieſcere legitur,
„ vel ſi adhuc mare partiatur die natalis ejus, &
„ pervium eſſet euntibus. Quod & fecit, nam a
„ rege illius terræ, ſcilicet Jaroſlao hoc didicit:
„ Quod Julius Papa in regionem illam, ubi ſan-
„ ctus Clemens jacebat, ad deſtruendam hæreſim,
„ quæ illis in partibus erat, perrexit; quumque
„ peracto negocio idem Papa ab illis partibus re-
„ gredi inciperet, apparuit ei angelus Domini
„ dicens: Noli recedere; a Domino enim præci-
„ pitur tibi ut revertaris, & transferas corpus
„ ſancti Clementis, quod hactenus in mari jacuit.
Et infra: Perrexit ibi, & ſiccaro mari tranſtulit
„ corpus ſancti Clementis, & poſuit illud ſuper
„ ripam, & ædificavit ibi eccleſiam, & aſſumens
„ de corpore ejus reliquias Romam ſecum addu-
„ xit. Contigit autem ut illo deferente, die quo
„ reliquias cum ſumma honorificentia populus re-
„ cepiſſet Romanus, eodem die ſepulcrum, quod
„ in mari relictum erat, cum ſolo ſe ſuper mari
„ erigeret, & fieret inſula, ubi illius regionis
„ homines baſilicam conſtruxerunt. Hæc habet
codex.

XIII. Verum cum Bollandianis narratio-

H nem

nem hanc contemnendam & reprobandam existimavi. Quod enim hic fertur in Chersonesum Tauricam venisse Julium Papam ad destruendam hæresim, haud satis cum ecclesiastica historia consentit. Multas quidem sanctus Julius adversus Arianos dimicationes habuit, nunquam tamen profectum fuisse in illas oras, aliasve Orientis legitur. Julius II. & Julius III. sæculo æræ Christianæ decimosexto vixere diu post Henrici, & Jaroslai regum ætatem: „Fortassis (inquiunt illi) „ab Cyrillo episcopo, sive Constantino Philosopho minutas translatasque sancti Clementis „reliquias audierat Russorum rex neophytus, & „Julio, nescio qua exerratione, vel ipsa tribuit, „vel legatus memoria lapsus, vel scriptor temere „alucinatus. Deinde paucis interjectis: „De iis, „quæ post ablatas Romam sancti Clementis reliquias acciderunt, deque emersis e mari sancti Clementis sepulcro, & insula nusquam „adhuc vel legere licuit, vel vacavit inquirere. Ita Bollandiani; unde satis corruit allati codicis auctoritas, quæ ut levis prorsus damnatur.

CAPUT VI.

Adfertur narratio alterius translationis corporis sancti Clementis Papæ & Martyris Roma in insulam Piscariæ a Johanne Berardo collecta.

I. PRÆMISSA hactenus de corpore sancti Clementis disputatione, undique compertum est cujus opera, & qua rerum serie illud sub Hadriano II. Romam advectum in antiqua ejus nomine nuncupata basilica sepulcro fuerit donatum, ubi octo ab hinc & ultra sæculis insigni cultu requiescere, ibique diuturno tot annorum tractu requievisse, veterum graviorumque scriptorum testimonio exploratum habui. Verum antiquorum etiam nonnulli Romanæ urbis ornamento invidentes, illam pretioso adeo pignore orbatam deinde fuisse scripserunt, & alteram supposuerunt translationem, videlicet sancti Pontificis corpus paullo post ejus Romam adventum, eodem Hadriano sedente, in insulam Piscariæ prope Theatem a Ludovico II. Imperatore asportatum fuisse.

II. Translationis hujus historiæ collector, ut observant Lucas Acherius in prologo tomi quinti sui Spicilegii, & Johannes Mabillonius in libro tertio de re diplomatica capite quinto, fuit Johannes Berardus celebris olim Piscariensis seu Casauriensis monasterii sancti Clementis ordinis sancti Benedicti monachus, quo sacrum corpus translatum ferunt. Illam typis primum edidit Franciscus Duchesnius in tomo tertio suæ collectionis rerum Francicarum ex MS. veteri libro regiæ bibliothecæ *chronicorum & instrumentorum de rebus & possessionibus Piscariensis cœnobii*: iterumque post illum in lucem emisit Ferdinandus Ughellus in tomo sexto Italiæ sacræ ex alio MS. codice membranaceo Petri Columnæ ejusdem monasterii olim Commendatarii. Hos codices duos in libros distributos, Piscariensis vel Casauriensis chronici sive chartarii, Berardo itidem collectore, partem esse scribunt Acherius, & Mabillonius; historiam enim & fundationem continent Piscariensis cœnobii, quorum primus tantum translationis hujus narrationem complectitur. Hanc ergo ex parte ejusdem Berardi verbis exscribendam duxi.

III. „ Ante conditionem monasterii Pisca-„ riensis inventur Ludovicus Imperator per diver-„ sas Italiæ provincias acquisivisse possessiones plu-„ rimas eo animo & affectu, sicut postea claruit, „ ut quum ipsum locum inveniret, quo monasterium

„ rium construeret, eas ibidem omnipotenti Deo
„ largitori omnium bonorum offerret. Hinc pluribus interpositis: „ Iste siquidem Ludovicus fuit
„ sanctus & incomparabilis vir, & bellorum studiis eruditus, qui paterno more Italiam sæpissime visitabat, & in his, quæ beato Petro erant
„ necessaria, seque suosque ut boni patris bonus
„ filius præparabat. Hic quum audiret Calabros,&
„ Apulos velle repugnare Romanis, exercitum copiosum aggregavit, Alpes transcendit, & Piscariam veniens insulam delectabilem,cui nomen est
„ *Casa aurea*, undique aquis cinctam invenit. Ludovicus igitur divina inspiratione tactus quum
„ supradictam insulam circumspexisset & omni considerasset parte, ac usibus servorum Dei profuturam cognosceret, in ea monasterium in honorem
„ sanctissimæ Trinitatis ædificari præcepit &c.
„ Romam deinde reversus, Imperiali laurea pro
„ triumpho a domino Papa Hadriano & omni
„ populo & Senatu in Capitolio est coronatus.
„ Ille vero quanquam in sublimitate Imperiali se
„ positum consideraret, non tamen humilitatem,
„ quam erga suum Conditorem habere solitus erat,
„ deseruit, sed humilior ex sublimitate & subjectior fuit.

IV. Mox tradit optimum Cæsarem novam ecclesiam aliquibus Cœlitum vel martyrum reliquiis exornandi studio incensum, omnes convocasse archie-

chiepiſcopos, epiſcopos, & nobiles conſiliarios, qui honoris cauſſa ei comites adhærebant, eosdemque poſtulaſſe, ut ipſi eſſent conſilio: „ Et dum „ adhæc ſinguli titubarent (ſunt verba Berardi) „ neſcientes quid reſponderent ei, acceſſit quidam „ veteranus antiſtes ſtudioſus valde in ſanctis ſcri- „ turis, & ſanctorum martyrum plenarie geſta „ cognoſcens, qui clara voce dixit Imperatori: „ Imperator auguſte, cui Deus tantam contulit „ gratiam, ut quæ ipſe in cœlis prædeſtinat per ſe „ operetur in terris, conſilium quod requiris, ab „ homine tibi non poteſt dari. Immo ipſe Deus, „ cujus nutu inſulam elegiſti, quæ revera alter „ paradiſus poteſt dici, ipſe talem ſibi elegit pro- „ tectorem, qui in aquis vitam pro Chriſto fuderit, „ ſi tua celſitudo ad hunc perquirendum voluerit „ inclinari. Cui Imperator: De quo pater ſcientiſ- „ ſime loqueris? De Clemente, reſpondit ſenex „ ille, qui ſucceſſor extitit Petri apoſtoli, qui huic „ Romanæ præſidens eccleſiæ apoſtolum totius „ Galliæ Dionyſium delegavit, qui noviter reper- „ tus, & ad hanc urbem per quendam Philoſo- „ phum nomine Conſtantinum delatus, tuæ a „ Deo prædeſtinatus eſt cuſtos eccleſiæ: ut qui in „ aquis pro Deo ſpiritum exhalavit, demerſos in „ aquis Piſcarienſibus ne pereant, liberare poſſit. „ Ad hæc Ludovicus tanquam a Deo viſitatus, „ quæ ſenex dixerat mente concepit, & ſan-

ctum

" ctum Clementem ante suos oculos ponens, om-
" nes cardinales præcepit convocari: & cum sin-
" gulis habens colloquium, sciscitatus de beato
" Clemente quo erat, quomodo repertus fuerat,
" orans, ut suarum precum forent apud Domi-
" num exauditores, & apud dominum Papam fide-
" lissimi intercessores. Cui quum singulis super
" interrogatis unam responderent sententiam, &
" in precatu regio suam fidelissimam promitte-
" rent opem; accersitis primatibus suis cum ar-
" chiepiscopis & principibus totius Urbis accessit
" ad Papam. Hadrianus quidem II. Papa ille voca-
" batur, QUI BEATUM CLEMENTEM SUSCEPIT A PHILO-
" SOPHO, POSTEA DEDIT REGI LUDOVICO. Quem
" dominum Hadrianum tali voce Imperator allo-
" quitur: Si rectum est filios hoc requirere quod
" totum patres promeruerunt, siquid promeruе-
" runt parentes mei, siquid & ego ipse, talibus in
" obsequiis quæro, supplico, rogo, obtestor, qua-
" tenus impræsentiarum reddatis mihi: non quæ-
" ro dilationem, volo in præsenti remuneratio-
" nem, non aurum, non argentum, non castella,
" non civitates, sed illum, qui per Dominum in
" marinos demersus est gurgites; ut mihi Deus
" clemens efficiatur, Clementem requiro, non
" alium nisi illum, qui fuit secundus a Petro &c.
" His Hadrianus respondit: Imperator auguste,
" quem tu postulas non est possibile me dare tibi,

sed

„ sed in voluntate est tam cleri quam populi, qui-
„ bus nolentibus aliquid pretiosum non possum
„ præbere alicui. Verum tamen si eorum rogatus
„ tibi faverit, his, quæ postulas mea voluntas de-
„ esse non poterit. Quibus Imperator auditis con-
„ versus ad clerum & populum, ait: Quid super
„ his, quæ postulo, sanctissimi patres & orbis domi-
„ ni, visum est vobis? si majora postularem, in
„ mea erat fiducia quod facillime impetrare debe-
„ rem: nunc vero minima postulo, quæ mihi non-
„ petenti a vobis offerri deberent ultro. Ad hæc
„ cardinales: Non hoc, inquiunt, domine Impe-
„ rator debes postulare, immo tibi non postula-
„ tum accipere, & acceptum ubicunque volueris
„ ponere. Tu es enim orbis terrarum dominus,
„ & Romanæ ecclesiæ filius, & per te crevit, &
„ crescet Deo volente nostrum & ecclesiæ decus.
„ Accipe quod postulas, quia in hoc favemus tibi,
„ & totus populus. Audiens hæc Papa Hadrianus,
„ cujus erat ad perficiendam Imperatoris petitio-
„ nem promptus animus, respondit clero, & in
„ responsione cleri respondit populo: Licet agno-
„ scam dominum Imperatorem Ludovicum majo-
„ ra promeruisse, non tamen volui ejus petitioni-
„ bus assensum præbere, donec audirem ex vestro
„ ore quid super his, quæ postulabat, judicaretis.
„ Quia ergo vobis placet quod postulata accipiat,
„ ne confundere videar faciem ejus, quem hono-
rare

„ rare decrevi, DONO SIBI ET CONCEDO CORPUS
„ BEATI CLEMENTIS ET PRÆSULIS, qui jussu Trajani
„ Imperatoris in mare demersus fuit, & nobis
„ volente Deo redditus. Insuper & addo reliquias
„ apostolorum Petri & Pauli, ut in omnibus
„ lætificetur mens Imperatoris, & habeat bonum
„ animum erga filios pacis. His auditis Impera-
„ tor &c.

„ V. Jussu ergo beatissimi Papæ Hadriani
„ ALLATUM EST CORPUS CLEMENTIS MARTYRIS GLO-
„ RIOSISSIMI, ET TRADITUM LUDOVICO IMPERATORI,
„ qui frangens illico vas, in quo erat positum,
„ traxit singulatim omnia ossa ejus, & ne aliquid
„ deesset diligenter aspiciens, INVOLVIT TOTUM
„ CORPUS in pretioso pallio, deinde posuit in
„ vasculo, quod ipse rex secum habebat factum
„ de alabastro; ibique celebravit excubias, &
„ sollemnes vigilias per aliquot dies. Et infra:
„ Perfectis igitur illis, quæ in Romana civitate
„ decreverat facere, LEVAVERUNT CORPUS SANCTI
„ MARTYRIS, & cum hymnis & canticis spiritua-
„ libus Domno Apostolico præeunte exierunt ab
„ Urbe psallentes & gaudentes.

„ VI. Hujus facti fama egressa est in universo
„ orbe Romano, & tanta convenit hominum
„ multitudo, ut arenæ maris posset æquari, lau-
„ dantes & magnificantes virtutem Imperatoris
„ Ludovici, videntes in eo gratiam esse Dei,

I Post-

Postmodum prosequitur: „ Quum autem venissent „ ad insulam Piscariæ, quæ validis aquis undique „ cingitur, Ludovicus Imperator ait: Ut tumu„lare possimus beati Clementis ossa in loco, opus „ est auxilio Redemptoris. Rogemus ergo eum, „ qui omnia potest, ut demonstret nobis hodie in „ vestra præsentia, si hic veraciter sit ille Cle„mens, qui in profundo maris præcipitatus, „ invenit templum marmoreum angelicis mani„bus sibi præparatum: si hic est, ostendat Deus „ tali conditione, ut mulus iste, qui portat eum, „ incedat per medios fluctus sicco vestigio, & diri„gatur non homine duce ad locum, in quo ho„norifice sepelire decrevimus. His dictis mulus „ aquas ingreditur valde profundissimas, quæ im„petu vasto corruentes, marinas repræsentabant „ undas, & super istas ambulans sicco vestigio „ longo tractu, uno fere stadio intravit insulam, „ & ibi constitit, ubi Dominus præordinaverat „ sancti Martyris gleham &c.

VII. Inferius notat pluribus ibidem peractis miraculis Imperatorem deinceps cum archiepiscopis, episcopis, & consiliariis suis involvisse membra sancti Clementis, & reliquias apostolorum Petri & Paulli in medietate pallii, quum alia medietas ad posteros reservanda foret in hujus translationis memoriam: quæ omnia recondi jussit Imperator in præfato vase ex alabastro,

atque

atque ipso die translationis in altaris medio locari, anno scilicet reparatæ salutis octingentesimo septuagesimosecundo indictione quinta, sexto kalendas Junii. His deinde translationis perficit historiam: „ Expletis igitur, quæ animo firmiter inhæ„ rebant, ibi posuit viros nobiles genere, probos „ moribus, sanctos conversatione, quibus præfe„ cit abbatem Romanum nomine, virum hone„ stum &c. Posthæc habito cum suis consilio, „ jussit plures episcopos convocari, & in die „ congrua & competenti fecerunt ecclesiam san„ ctæ Trinitatis, & sancti Clementis, & aliorum „ Sanctorum sollemniter dedicari. Et demum prope finem primi hujus libri: „ Dedicata igitur „ fuit ecclesia, consecratum altare majus in ho„ norem sanctæ & individuæ Trinitatis, & san„ cti Clementis, cujus corpus honorifice sepul„ tum ibi requiescit: & sunt reliquiæ aposto„ lorum Petri & Paulli, quas sanctæ recorda„ tionis Papa Hadrianus dedit Ludovico Impera„ tori CUM CORPORE BEATI CLEMENTIS EXCELLEN„ TISSIMI PAPÆ ET MARTYRIS GLORIOSI &c. Supra vero de Ludovico hæc scripsit: „ Ut affectus illius, „ quem erga monasterium hoc habebat supra om„ nia monasteria, quæ a regibus ceteris in regno „ suo fuerant ædificata, manifestaretur & cunctis „ innotesceret, dedit eidem monasterio in perpe„ tuum jure hæreditario sceptrum regale, quod ge-

 stabat

„ ſtabat in dextera, ut illud abbas portaret in ſol„ lemnibus feſtis in loco baculi paſtoralis. Et in „ tantum dilexit cœnobium, ut omnem cauſſam „ ipſius tanquam peculiariſſimæ domus ſuæ quo„ adusque vixit pro amore ſuperno exſequi modis „ omnibus prævordinavit. Poſt ſuum vero ex hac „ luce diſceſſum illi ejusdem eccleſiæ commiſit tu„ telam, ad cujus honorificentiam ſuo ſtudio eam „ conſtat exſtructam. Ludovicus itaque perfectis „ omnibus, quæ ad regimen præfati monaſterii, „ & ad decus totius Imperii pertinere videbantur, „ regreſſus eſt ad propria, ibique religioſe & pie „ vivens, & religioſius & magis pie moriens ani„ mam Deo reddidit &c. Huſcuſque Berardus apud Ughellum, ubi & alia ſubdit de inſigni olim Piſcarienſi cœnobio, ejusque prædiis ac poſſeſſionibus, quibus illud Imperator Ludovicus pia largitate donavit. An autem hæc Berardi narratio hiſtoricæ veritati conſona ſit, pronum me ad aſſentiendum retardant nonnulla infra recenſenda, quæ in oppoſitum ſeſe offerunt, argumenta, unde illam inter fabulas reponendam eſſe cognovi.

CA-

CAPUT VII.

Aliqua ad rem observantur, & de Johanne Berardo novæ translationis historiæ collectore nonnulla expenduntur.

I. ANTEQUAM singula præfatæ narrationis figmenta recludam, dignum operæ pretium erit sedula primum discussione totius rei momenta dispungere, & nonnulla, quæ ad ejus explanationem facilem sternunt viam, in apertum educere. Quapropter altius principia petendo, nemo eruditus ignorat olim fuisse jam tum fere a primis ecclesiæ temporibus, & sequentibus deinde sæculis fallendi arte peritos homines, qui sua somnia atque inania prorsus mendacia ut historicæ veritatis monimenta obtrudere ac venditare, sinceras que veterum historias fabellarum adspersione corrumpere consueverunt. Id enim fatale historiæ periculum Cardinalis Baronius in admirabili suo Annalium opere sæpenumero lamentatur, & præcipue ad annum octingentesimum quinquagesimumtertium plurimo sensu dolet:

dolet: *Felix* (ait) *profectò esset historiæ cursus, si absque obice fabularum sincera tantum ferri veritate daretur, quæ ubi semel ut zizania inter triticum seminata fixis radicibus tritici mentita specie altiori cumulo consurgunt, sicut triticum messoris æqua falce metantur, & cum frumento in horrea recondantur, & mixta tritico tritici jam nomine decorata, atque æquo pretio eademque mensura cum tritico vendantur; ita fabularum abolito nomine receptæ semel transeant in historiam, ut opus sit magno cribrario, qui magno labore a veris falsa, & fabulas segreget ab historiis*. Hæc Baronius, qui etiam plura subjicit fabellarum exempla, quas ut historias olim antiqui venditarunt: quemadmodum illa fuit de anima Trajani ab inferis revocata; de septem dormientibus annos prope ducentos somno occupatis; de Silvestro II. qui per magiam Pontificatum adeptus fuerit, atque in obitu a diabolo dilaceratus; de interitu Hadriani per muscam illato, & aliæ similes, quas simul congerit Cardinalis Baronius occasione alterius levissimæ fabulæ de Johanna femina in summum Pontificem electa, quam vehementibus argumentis velut monstrum eliminat. Merito itidem dolet Josephus Cardinalis Aguirrius in Apparatu tomi secundi ad Collectionem maximam conciliorum Hispaniæ dissertatione tertia, necnon alii sinceræ fidei scriptores de pluribus pseudo-chronicis, quæ olim irrepserunt,

quo-

quorum auctores temerario ausu nugas & fabulas perperam suppofuerunt, ut chronica Dextri, Luitprandi, Maximi, aliorumque falso nomine inscripta, quæ unius maleferiati cerebri ineptiis refertæ ecclesiasticam Hispaniæ historiam integro sæculo inquinaverunt. Quantus igitur in disquirendo labor, quantum in discernendo judicium, quanta demum in afferendo debeat esse fides illius, qui in recensendis ac vindicandis veterum historiis occupatur, nemo est, opinor, quem lateat: *Accidere enim interdum solet* (inquit Baronius ad annum sexcentesimumquartum) *ut aliquid vulgo allatum siquis certos velit examinare testes an verum sit, neminem id serio testantem inveniat, sitque ut quod ab omnibus dici jactatur, asseratur a nemine, rumorque evanescat in auras.* Ego itaque, quem unicum veritatis studium delectat, hanc translationis corporis sancti Clementis Roma in insulam Piscariæ narrationem inter istius generis fabulamenta rejiciendam esse putavi, idque neminem cordatum virum inficiantem existimo.

II. Vix autem credi potest, ut scribit Johannes Ferrandus in libro primo Disquisitionis reliquiariæ, quantæ quamque acres fuerint Christianorum omni ævo contentiones pro sacris Beatorum lipsanis conquirendis & comparandis, ut nedum solo opinionum discrimine, verum etiam gladiorum dimicatione nonnunquam fuerit rixatum. Id probat

bat olim peramœna Pictavos inter & Turonenses super sancti Martini reliquiis altercatio, cujus locuples testis est Gregorius Turonensis in libro miraculorum sancti Martini, necnon cruentum, quod notat Johannes Cassianus in collatione sexta capite quinto ob aliud sancti viri corpus, certamen. Quod sane in rudiori plebe minus prudenti mirandum non est, si memineris qua animorum discordia jam tot annos Casinenses inter & Floriacenses super sancti Benedicti corpore jactata sit controversia, quum illud singuli sibi vindicarent: deinde quam celebris alia fuerit Ratisponenses inter & Sandionysianos monachos super unius sancti Dionysii Areopagytæ reliquiis, omnibus, ut arbitror, in comperto est. Nuperrima itidem de corpore sancti Bartholomæi apostoli contentio eo inter Romanos & Beneventanos exarsit, ut nedum hactenus quieverit, sed vehementioribus immo rationum momentis unaquæque pars sacrum pignus sibi adjudicandum firmiter tueatur: quapropter Vincentius Maria Cardinalis Ursinus justitia, prudentia, & rerum sacrarum eruditione spectatissimus, cujus pietatem,& in ecclesiastica monumenta singulare studium nemo non admiratur, omnem adhibuit operam, ut illud suæ Beneventanæ ecclesiæ vulgatis dissertationibus tribueretur.

III. Hæc vero utcunque fuerint sacra jurgia apud aliquos commenticiis pluribus adinven-

tio-

tionibus (quod sane dolendum) atque insulsis figmentis caussam dederunt. Fuerunt enimvero non pauci, ut rerum experientia docet, usque eo caducæ fidei & conclamatæ salutis nebulones, ut nihil pensi duxerint veritatem pessundare, aniles ineptias pro traditionibus obtrudere, adulterinas tabulas, spuriaque Pontificum, & principum rescripta pro veris subjicere ac venditare, dummodo illustrium Sanctorum exuvias temere sibi defenderent, ac levis vulgi credulitati fucum facientes, suis ecclesiis & nimium obscuris oppidis aliquam nominis lucem, populorum cultum & famam, sibique primo quæstum & lucra aucuparentur.

IV. Hinc inter istius notæ fabulatores illum recensendum putavi, qui subditiciam sancti Clementis Papæ in insulam Piscariæ translationem confinxit, ejusque narrationem ut veritati admodum dissonam respuendam duxi. Historiæ hujus primus auctor adhuc in obscuro latet, solum in apertum est illam Johannem Berardum ex tabulario Casauriensi * eduxisse, & literis consignasse. Is scilicet, qui circa medium duodecimum æræ Christianæ sæculum ab Eugenio III., ut arbitror, vel paullo ante ab Innocentio II. ad Celestini III. tempora usque superstes fuit, sui Casauriensis cœnobii ornamenti & dignitatis solicitus, primus omnium vetera ejus monumenta patefecit, & chronicum ad annum usque centesimum octogesimumsecundum supra

* Mon. olim Piscariensi.

K mil-

millesimum, quo Leonas monachus Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis, & abbas defunctus est, perduxit. Chronicum hocce ex priscis monasterii scriptis conflavit, & eodem Leonate jubente perfecit. Ibi plures antiquas de illo memorias, pluraque Imperatorum, & principum invenit diplomata, atque instrumenta, quæ omnia in volumen collecta disposuit, cujus pars etiam fuerunt, ut supra observavi, præfati duo libri de fundatione monasterii apud Duchesnium, & Ughellum editi, ubi in priori translationis exstat narratio. Id & ipse collector Berardus in præludio ad chronicum apud Acherium in tomo quinto Spicilegii his verbis fatetur: „ Nos igitur moderno tempore, licet ingenio & „ scientia juniores & imperiti, tamen super hoc „ divinitus solicitati cum ingenti tædio & labore „ residuum omne chartarum ipsarum revolvimus, „ & ad honorem sancti Clementis & munimen & „ profectionem suæ domus de eisdem chartis tan„ quam in unum opus librum ordinantes compo„ suimus, ne videlicet caussa vetustatis, vel per „ negligentiam, sicut olim, amittantur. Deinde in fine chronici: „ Hunc quoque librum (inquit) „ instrumentorum seu chronicorum, quem ego „ frater Johannes composui & ordinavi, & magi„ ster Rusticus manibus scripsit, ipso jubente „ (scilicet Leonate) ac adminiculante perfeci„ mus.

Volu-

V. Volumen istud sive veterum hujusmodi chartarum collectionem *chartarium* nomine sæpedictam, *chartularium* etiam vocari scribit Mabillonius de re diplomatica libro tertio capite quinto; ubi (ut olim apud omnes, præcipue post sæculum decimum, fieri consueverat) res ad unamquamque ecclesiam seu monasterium familiamve pertinentes notabantur. Tria chartariorum genera distinguuntur, unum historicum, alterum authenticum, & tertium puram chartarum collectionem complectens. Inter historica Casauriense seu Piscariense hocce chartarium Mabillonius adnumerat, quod majoribus foliis constare, & autographum quidem esse ac figuris subinde illustratum observat, unde ait: *Hinc fit, ut ex chartario illo Casauriensi, itidemque ex Sithiensi paullo minorem exemplis relatis fidem quam autographis ipsis adhibendam esse existimem, propterea quod chartarum exempla in ipsis relata ab omni suspicionis labe prorsus immunia videantur.* In Actis etiam Sanctorum ordinis sancti Benedicti parte prima sæculo sexto in observatione prævia ad vitam sancti Widonis abbatis Piscariensis perelegantis memoriæ commendat Berardi chronicum idem Mabillonius, ubi & monasterium Piscariense ob corporis sancti Clementis Papæ translationem celebrat, eaque omnia summatim laudat, quæ Acherius in prologo tomi quinti sæpememorati sui Spicilegii.

Chronicum illud Acherius ex eodem Casauriensi chartario decerpsit, quod ei vir Cl. Antonius Wio Herovallius perhumaniter communicaverat: *Illud autem* (inquit ipse) *ex ingenti volumine elegantissimis characteribus ante annos quingentos exarato, quod omnes monasterii chartas complectebatur, excerpsimus. Auctor siquidem Johannes Berardus ejusdem monasterii monachus Benedictinus summatim ordine chronologico, quæ prolixius referunt chartæ, marginibus adscripsit, historiamque contexuit, additis præterea, quæ Piscariam spectant, serie Imperatorum, regum ac principum, bellis, eventibus &c.* Et paullo infra: *Præcipua diplomata, nempe regia, & Pontificia privilegia, rati nec injucunda nec inutilia fore lectori, inseruimus.* Deinde ejusdem auctoritate subnixus translationem corporis sancti Clementis Papæ in hoc cœnobium adstruere non veretur, ibique hactenus requiescere pluribus contendit: quod itidem voluit vir singularis literaturæ Balletius de Vitis Sanctorum tomo undecimo in vita sancti Clementis.

VI. Mirum tamen non est viros cæteroquin insignes ac eruditos totum hoc Casauriense chartarium in suis scriptis laudasse, & Acherium in Spicilegio tanquam legitimum reposuisse, quum illud exinde velut sincerum non probaverint, neque ad censuram redegerint: cæterum ut mendo-

ſum atque corruptum arguere auſus non eſſem, ſi revera critico examine Mabillonius probaſſet, cujus auctoritatem eruditi omnes admirantur & colunt. Ex parte itaque craſſis ſcatere erroribus, & nonnullis reſperſum eſſe figmentis ego pro virili ſingula diſcutiendo inferius oſtendam. Huc autem facit quod ſcribit Cardinalis Baronius ad annum ſexcenteſimumquartum: *In his, quæ rerum geſtarum veritatem ſpectant, quamfrequenter accidit falli etiam prudentiſſimos, non in antiquis tantum, ſed & in his, quæ facta eſſe dicuntur in eodem loco, quo ipſi ſunt, & quo vivunt tempore, ob idque nihil eſt, ut quantavis ſive ſanctitatis, ſive doctrinæ cujuslibet prærogativa viri quod non factum eſt unquam ut factum aſſerentis, ipſi veritati poſſit præjudicium inferre: quum in his, quæ ſunt facti non dogmatis, potuerit quiſque ſanctiſſimus atque doctiſſimus fides orthodoxæ profeſſor atque defenſor aliquando falli. Num rogo* (idem ſequitur) *eminentia alicujus viri efficere poteſt, ut quod mendacium eſt, veritas ſit, & quod perinde ac verum ab eo falſum aſſertum eſt, recipiatur ab omnibus*? Hucuſque nobis ſuffragando Baronius.

CA-

CAPUT VIII.

Unde probabiliter translationis hujus historia exorta sit, illamque scribendi quam occasionem Berardus habuerit.

I. TANTA est suppositiciæ hujus translationis historiæ levitas, ut cuiquam etiam modicum erudito facile innotescat. Ejus tamen originem prius paullo explorandam censui, necnon occasionem, quam Berardus nactus est, ut illam in suo Casauriensi chartario descripserit, inquirendam putavi; quod nonnisi conjecturarum ope argui potest. Et primo quoad Berardum, dictum est illum vetera cœnobii simul collegisse chartarum monumenta, & ex illis chronicum disposuisse. Vero igitur simillimum est eundem chronographum hæc inter quærenda scripta, in aliquod offendisse, quod sancti Clementis Papæ & Martyris corpus in Piscariensi basilica requiescere proderet, atque illuc translationis historiam subjiceret: quumque Berardo etiam superstite translationis hujus & existentiæ sacri corporis aliqua

qua ibidem fama vigeret, scripto hujusmodi bona fide accepto auctoritatem adhibuit, illudque, quum magnopere in cœnobii ornamentum evaderet, tanquam legitimum approbavit, atque in suo chartario transcripsit.

II. Quo vero ad historiam, unde nimirum ortum facile habuerit & fuerit scripta, Ferrandi præsidium petendum est, qui in suo laudato opere Disquisitionis reliquiariæ plures adducit caussas, quas propter earundem in individuo reliquiarum multitudo oriri solet, & contentiones exinde profluere: has inter nonnullæ huc facere possunt. Quarum maxima esse videtur homonymia, sive nominum similitudo: Sanctorum nanque plurimi, quos cœlo donatos veneramur, quum iisdem inter se nominibus insigniantur, hinc sæpenumero apud aliquos usuvenit, ut alicujus istorum corpus, quod cujusnam reipsa sit fortasse ignoratur, ejus esse immerito glorientur, cujus apud nos nomen celebrius famaque illustrior fuit. Verosimili huic caussæ vir doctissimus Franciscus Suarez etiam adstipulatur in tomo primo parte tertia quæstione altera disputatione quinquagesimaquinta; quærens & ipse cur eædem Divorum reliquiæ diversis in locis esse credantur: *Caussa interdum* (ait) *esse potuit, quia Sancti fuerunt ejusdem nominis, & successu temporis utriusque reliquiæ ejusdem personæ existimatæ sunt, & propter nominis ambiguitatem illi attri-*

attributæ, qui majoris habetur gloriæ & sanctitatis. Erroris hujus exemplum olim Byzantii de corpore sancti Pauli Constantinopolitani episcopi accidisse Sozomenus narrat in libro septimo historiæ ecclesiasticæ capite decimo: „ Plurimi nescientes veritatem (inquit) Paullum apostolum jacere „ credunt, & maxime mulieres, & populus: pluraque alia si petantur non desunt exempla.

III. Itaque ut Berardum virum eruditum ac religiosum ab nota fabulatoris quantum fieri licet vindicemus, esse potuit, ut aliquis paullo ante illum, Paschale II. Pontifice, Piscariensis monasterii antiquitatum studiosus, qui chartas & scripta nonnulla in ejus tabulario de monumentis cœnobii reliquerit, cujusdam sancti Clementis corpus in Piscariensem basilicam olim translatum ibidem requiescere exploraverit, idque illius sancti Clementis crediderit, quem maximi nominis & sanctitatis fama inter cognomines esse noverat insigniorem, nimirum sancti Clementis Papæ & Martyris, ejusque deinde translationis historiam ad dolosæ opinionis subsidium pro mentis arbitrio descripserit. Hanc inter vetera illa scripta quum Berardus in eodem tabulario forte invenisset, in suo chartario etiam reposuit, & nimia captus credulitate tanquam veritati consentaneam ingenti verborum apparatu exornavit. Plures fuisse nomine Clementes episcopos, martyres, & confessores, ad numerum

rum usque quadragenarium pertingentes tum longe ante quum post Berardi ætatem, accurato studio in suo libro de Clementibus Oldoinus collegit; quorum plurium corpora ubi requiescant, nemo est quem non lateat.

IV. Deperditis nanque archivorum monumentis ortum habuerunt eiusce modi errores, & adulterinæ historiæ. Enimvero quum in veteribus ecclesiarum tabulis ac scriptis, quænam sacra pignora inibi servarentur posteritati docendæ, ipsorumque Cœlitum gloriæ consignatum foret, illis sive temporis edaci dente, sive hostium rabie corruptis ac dissipatis, sive summa clericorum ac præsulum, quorum intererat, incuria neglectis, vitiatis, amissis, sive alio quovis calamitatum genere miserandum in modum pessundatis, posteri in tantam tamque deplorandam sacrarum reliquiarum oblivionem alicubi venerunt, ut sola Divorum nomina suis a majoribus docti noverint, eorumque ut fit similitudine tandem delusi, easdem numero reliquias, quæ alibi certæ coluntur, sibi perperam ineptis adinventionibus assuerint. Similem tabularum jacturam veterumque scriptorum fatale damnum queritur sanctus Pontifex Gregorius Magnus in epistola ultra centesimam vicesimasexta libri septimi, qui idcirco ex eorum interitu infinita propemodum ecclesiarum mala oriri posse videbat.

L Hæc

V. Hæc etiam est caussa cur multorum, quæ de Sanctorum gestis feruntur, incerta sit fides, ut disertim notat acer judicio vir Johannes Bollandus in præfatione generali ad vitas Sanctorum capite tertio §. primo. Quum nanque primigenia Divorum acta immani fato itidem dissipata interiissent, superesset tamen eorum nomen, & miraculis aliquando coruscaret, oportuit illa, nonnullis, postquam e vivis cesserunt, sæculis vel ex veterum historiis, vel quum eæ ut plurimum non exstarent, ex sola populi sed accepta a majoribus fama describere: verum, ut recte monet sanctus Augustinus in tractatu nonagesimo in Johannem: *Nonnunquam & historia, & multo magis fama mentitur.* Sunt enim reipsa ex populi fama, Bollando teste, plurium antiquorum martyrum, quæ interciderunt acta conscripta, multorum Galliæ apostolorum, aliorumque Cœlitum: neque præter famam, quæ a majoribus effluxisse dicebatur, habuerunt, qui ea colligebant viri sapientes quod sequerentur. Siquod erant quantumvis tenue antiquum nacti monumentum, veluti in densa caligine insperato objectum lumen, ejus ductu omnem direxerunt suæ cursum scriptionis. At populares illæ traditiones sæpe nec pueris satis credibiles, sæpe levi aut etiam fallaci ortæ principio, magnis deinceps incrementis dilatatæ, parum tamen ipso auctu roboris acceperunt. Quædam & vera, & a gravi relata viro perperam

peram aliquando intellecta sunt, pejus etiam aliis narrata, ut semper cum novis erroribus longius serpant. Proprium enim id habet fama, ut vires eundo acquirat, magis vero ficti ac pravi, quam recti tenax; quod ceteroquin temporis cursu talibus ornamentis atque additamentis quandoque induitur, ut seipsam postea miretur, & vix agnoscat; quum scilicet ab otioso sæpe ingenio priscas rerum origines in sui suorumve commendationem inquirenti aliquod contigisse fingatur, & a levi vulgo avide quod optat credente, adoptetur pro vero.

VI. Quum autem priscæ Piscariensis cœnobii tabulæ ac monumenta vel hostium direptione, a quibus pluries etiam ante Berardum illud prædatum fuit, vel veterum monachorum incuria perierint, ut ipse Chronographus dolet in præfatione: „ Peccatis exigentibus (inquit) sicut de posses„ sionibus multa perdidit monasterium, sic de „ regalibus & instrumentalibus chartis multa „ plura ob culpam & negligentiam quorundam „ amisit; proinde conjicere possumus ob sancti Clementis nomen, quo cœnobium aliquod ante sæculum vocabatur, & cujusdam sancti Clementis corporis ibi existentis popularem famam, illud sancti Clementis Papæ fuisse creditum, & in Piscariensi tabulario scriptum; ejusdemque famæ rumoribus, quæ sensim in vulgus mendaciis & fabulosis narrationibus aucta sit, fictitiam insuper transla-

 tionis

tionis historiam audaci nimis ingenio conflatam fuisse.

VII. Id quoque de titulorum exitio vel defectu intelligendum arbitror, unde aliquando iidem errores effluxerunt. Titulos hic voco elogia sepulcralia & inscriptiones cryptis, mausoleis, & sepulcris affigi solitas, ex quibus certo quaenam sub illis conditae forent exuviae, constare posset. Quum autem in Piscariensi basilica vel nulla unquam fuerint, vel exciderint antiquitus hujusmodi monumenta (illa enim quae hodie supersunt, Leonas coenobii abbas Berardi aevo curavit) hinc fortasse quisquis fuerit auctor, uno ejusdem coenobii observato nomine, levi admodum augurio fabulam obtrudendo, sancti Clementis Papae & Martyris corpus ibidem requiescere vulgavit.

VIII. Verum quum unius error plerunque ceteros labefactare soleat, eam idcirco in danda historiis fide attendendam esse regulam eruditi omnes animadvertunt, ut scilicet exquiratur quis fuerit rei, de qua disputatur, scriptorum antesignanus & primus historiae auctor, quo vixerit tempore, cujusve fuerit eruditionis atque existimationis; quo comperto, si sola sui fide de rebus antiquis testetur, & majorum careat auctoritate, recte quicquid ab illo traditum est & ab ejus fonte defluit, ut suspectum rejicitur: *Quod enim* (juxta vulgatum illud Baronii effatum) *a recentiori auctore de rebus*

anti-

antiquis sine alicujus vetustioris testimonio profertur, contemnitur. Quum itaque quicquid Berardus de hujus translationis historia scriptis mandavit fortasse ab anonymo pene æquali chartarum, quas respuendas existimo, tabularii Piscariensis auctore testimonio vetustioris experte collegerit, & ab ipso desluat, nullum proinde super illa, quæ longe antiquior fertur, sanæ probationis suppeditat argumentum: quapropter unius Berardi error ceteros inposterum labefactare non poterit. Nihil enim est quod magis historiam lædat, quam inferioris ævi auctoribus, qui de illa scripserunt, absque delectu nimia facilitate præstare fidem; unde propterea ex eorum additamentis mendacia vires sumunt, & pii etiam viri res majorum prosequuti, quæ de his invenerunt, immerito decepti probarunt: quamobrem Baronii consilio hærendum est ad annum tricesimumquartum, ubi monet admodum interesse in veritate historica disquirenda auctorum habere rationem.

CA-

CAPUT IX.

Argumento negativo primum historia translationis a Berardo relata ut commentum refellitur.

I. UT autem translationis hujus historiam velut inane figmentum ostendere ac refellere aggrediar, sese primo exhibet unanime omnium scriptorum silentium. Nullus enim inter antiquos, aut inter æquales neque sacrarum, neque profanarum rerum auctores ne per umbram quidem hujusmodi translationis factum in posteritatem transmisit. Non apud Pontificum vitas, non apud Imperatorum gesta referentes, non apud totius regni Neapolitani historicos, aut Aprutii scriptores, nec apud chronica sancti Benedicti monasteriorum, nec denique apud omnes quotquot perscrutati sumus, ulla penitus hujus, quam tradit Berardus, translationis corporis sancti Clementis Papæ in Piscariense cœnobium memoria recensetur. Si enim sola dubitandi ratio contigisset, credibile est auctores illos, qui de aliis sanctorum corporum translationibus vel sola suffragante fama

fama in illas partes meminerunt, adhuc istam sancti Clementis, quoquomodo haberetur, silentio non omissuros fuisse: præsertim, ut scribit Berardus, quum fuerit illustre ac celebre factum, *cujus fama egressa erat in toto orbe Romano, & hominum multitudo arenæ maris poterat æquari*.

II. Idcirco rerum ordo postulat, ut ab auctoribus, qui æquales vel suppares fuerunt, exordiar. Quorum primus occurrit sæpe laudatus Gaudericus episcopus Velitrensis, qui sancti Clementis vitam & gesta longa serie narravit. Is quum translationem sacri corporis Chersona Romam duntaxat prodiderit, ac omnia quæ de sancto Clemente *legerat, meminerat, & viderat* literis donaverit, nec ullum alterius translationis Roma in insulam Piscariæ protulerit monumentum, satis proinde ut commentum arguit narrationem, quam habet Berardus. Ipse enim translationem hanc sub Hadriano II. Pontifice perhibet accidisse, & Gaudericus sub Johanne VIII. scriptor Hadriani nullo medio successore, cui præfatam sancti Clementis vitam nuncupavit, tradit tantum *reversionem ejus ad propriam sedem*, scilicet Romam, quam *se vidisse* testatur. Quin immo id probant Romani populi gratulationes, quas idem Gaudericus ob sacri corporis Romam adventum his verbis describit: „ Deo laudes maximas referentes gaudebant „ & jucundabantur in ipso, qui eis post tam prolixi

„ lixi temporis ſpatia conceſſerit in diebus ſuis
„ ſanctum & apoſtolicum virum, & ipſius apoſto-
„ lorum Principis ſucceſſorem in ſede ſua recipere,
„ & non ſolum Urbem totam, ſed & orbem quo-
„ que totum Romani Imperii ſignis ejus ac virtu-
„ tibus illuſtrare: quæ verba Johanne VIII. Pon-
tifice ſcripta ſatis ſuperque anonymo chartarum
auctori, unde Berardus hiſtoriam translationis edu-
xit, fabulatoris notam impingunt. Si nanque ſa-
crum corpus, quod ſub Hadriano II. Romam ad-
vectum fuit, ipſo deinde adhuc ſedente, Piſcariam
delatum fuiſſet, nequaquam Gaudericus ſub Jo-
hanne ejus ſucceſſore ſcripſiſſet adepti corporis Ro-
mam adventu ſolas Romani populi gratulationes,
verum etiam ob alteram translationem ægros ani-
mos & Urbis mœrores.

III. Huc præterea vocatur Anaſtaſii Biblio-
thecarii Gauderici æqualis, oculati pariter auctoris
celebre teſtimonium in laudata epiſtola ad Carolum
Calvum Francorum regem, cujus quoque meminit
Papirius Maſſonus de epiſcopis Urbis libro tertio
in vita Hadriani II. „ Per idem tempus (inquit)
„ vivebat in aula Pontificis Romani Anaſtaſius
„ apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius: is epiſtola ad
„ excellentiſſimum regum & chriſtianiſſimum
„ Carolum data decimo kalendas Aprilis indi-
„ ctione octava, ſic ait: Vir magnus & apoſtolicæ
„ vitæ præceptor Conſtantinus Philoſophus Ro-
mam

„ mam sub venerabilis memoriæ Hadriano juniore
„ Papa venit, sanctique Clementis corpus sedi suæ
„ restituit. Quum itaque Berardus referat sub Hadriano II. Romam primum sancti Clementis corpus asportatum fuisse, exindeque in insulam Piscariæ Ludovico Imperatore petente; & Anastasius triennio post Hadriani obitum sedente Johanne VIII. scribat sub Hadriano illud *Romam venisse, & sedi suæ restitutum fuisse*, nec subdat alio translatum, hinc jure optimo educitur Berardum, qui trecentum fere post annos vixit, a veteribus quas collegit, cœnobii chartis deceptum iis perperam fidem adhibuisse; unde Baronii redit censura, *quod a recentiori auctore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris testimonio profertur, contemnitur*.

IV. At nonnullos suspicor negativi hujus argumenti levitatem opponentes, quo proinde parum esse roboris ad arguendum inane figmentum exclament. Veruntamen illud in quæstionibus ex facto, usu, & traditione pendentibus multum habere ponderis una est inter scriptores opinio. Id observat vir cum primis doctus Bartholomæus Germonius in sua Disceptatione de veteribus regum Francorum diplomatibus parte altera capite primo, ubi privilegium quoddam Dagoberti I. Francorum regis auctorum silentio tanquam spurium exsibilans: *Neque profecto* (ait) *eruditus quisque refragabitur certissimam falsitatis notam aut saltem*

M caus-

caussam suspicionis ex veterum scriptorum silentio toties rectè deduci, quoties constat rem, de qua tacuerunt esse hujusmodi, ut nec ignorari potuerit si exstitisset, neque debuerit omitti, si fuisset cognita. Quia enim Eusebius, & Hieronymus (antea disputabat idem Germonius) septem tantum Ignatii Antiocheni episcopi epistolas appellavere, reliquæ tanquam adulterinæ rejiciuntur; siquod sub Augustini nomine opus editum est, de quo nullam mentionem vel ipse in libris Retractationum, vel Possidius in indice suo fecerit, illico opus illud dubium est & doctis hominibus suspectum. Item siquæ Isidoro Hispalensi tribuuntur tractationes, quas Hildephonsus in Catalogo suo non fuerit complexus, dubias vel etiam spuriis adnumerantur; quæ sapientum hominum judicia nemo sane aspernabitur.

V. Cardinalis Baronius ad annum ducentesimum tricesimumseptimum Cyriacum Pontificem Pontiani successorem a Coloniensibus confictum, quem sanctam Ursulam cum virginibus undecim millibus Coloniam comitatum esse obtrudunt, velut monstrum ab ecclesiastica historia negativo itidem argumento explodit contratam antiquam quinque sæculorum, quam sibi suadebant Colonienses, possessionem, tantoque olim assensu firmatam traditionem: *Non audiendi sunt* (scribit) *penitus recentiores quidam, qui post* Pon-

Pontianum introducunt Cyriacum quendam, cujus nulla prorsus exstat mentio in serie Romanorum Pontificum, vel apud Optatum Milevitanum, vel Cresconium, aliosque indices Vaticanos, nec apud Græcos ut Eusebium, Nicephorum, vel alios: adeout nec digna quidem sit quæ pluribus confutetur sententia; quippe quæ nulla penitus nitatur ratione vel testimonio antiquorum. Hoc pacto pluribus aliis in locis disputat Cardinalis Baronius; quo plane argumento certissimum haberi ratiocinium ad veritatem in rebus antiquis a falsitate secernendam nemo ignorat, ubi de facto vel traditione fit quæstio: ita enim Concilia, veteres ecclesiæ Patres atque Doctores hoc ratiocinii genere usi fuerunt, quemadmodum inter ceteros locuples testis est Gregorius Nyssenus in oratione prima contra Eunomium.

VI. Itaque satis patet reiciendas non esse quaslibet negativas argumentationes, neque quum aliqua opponitur exclamandum, ex negativis nihil concludi; earum nanque magis invalescit pondus, quum ex generali gravium literatorum, diligentiumque scriptorum sensu, qui ingenii severitati quandam in eligendo vel judicando prudentiam adjunxerunt, quique se invicem per multa sæcula subsecuti sunt, reticentia formatur. Totum id in hujus translationis historia contigisse animadverti, ubi plures gravis fidei auctores, qui de sancto Cle-

mente disputarunt, illam silentio prorsus præterierunt, ut alioquin siqua fuisset, eos meminisse oportebat: unde tanto fit certior atque evidentior ex argumento negativo demonstratio, quanto notitia facti, de cujus credibilitate controvertitur, propter insignem sui claritatem ad plures pertingere, & a pluribus scribi debuisset. Etsi vero in rigore dialectico non sequatur, ut aliqui notant: *non est scriptum, vel dictum, ergo non est factum*, recte tamen sequitur: *hoc vel illud caret congruæ antiquitatis & auctoritatis testimonio, ergo factum esse non est prudenter credibile*; tunc enim locum habere potest sæpedictum Baronii effatum; *quod a recentiori auctore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris testimonio profertur, contemnitur*. Hinc liquet argumentum negativum quandoque nullam, quandoque mediocrem, sæpe maximam habere vim, quod tamen discernere atque explorare critici eruditi ac prudentis officium est. Quum autem in hac supposititiæ translationis historia vehemens habere pondus probatum sit, illam idcirco velut somnium atque commentum reprobandam existimavi, quandoquidem toti retro antiquitati penitus ignota fuisse videtur.

VII. Inficiali huic argumento ab æqualium scriptorum reticentia petito vim admodum etiam confert Leonis Ostiensis silentium, quod tamen disserte loquitur. Is qui paullo ante Berardum ad Pas-

Paschalem II. usque vixit, a quo in cardinalium ordinem adlectus fuit, quum in sui Casinensis chronici libro primo capite tricesimoseptimo de hoc Piscariensi monasterio meminerit, nihil prorsus habet de corpore sancti Clementis Papæ ibi recondito: „ Per idem tempus (inquit) quum idem „ religiosus Imperator (scilicet Ludovicus II.) se„ cus insulam Piscariæ, quæ est in confinio comi„ tatus Pinnensis transitum habuisset, ejusque ocu„ lis locus ipse, qui quondam *Casa aurea* dice„ batur, valde placuisset, & servorum Dei reces„ sibus aptissimum judicasset, ab episcopis Balven„ si, & Pinnensi ecclesiam ibi in honorem sanctæ „ Trinitatis construi jussit, & religiosos viros in „ eodem loco ad Dei servitium congregari: quo „ facto pluribus eandem ecclesiam variisque bene„ ficiis per diversa loca, quemadmodum ipsius „ munimina continent (*nimirum privilegia*) Im„ periali largitate donavit, suique memoriam ibi „ semper habendam satis devotus indixit. Post„ modum ab ejusdem loci abbatibus ecclesia ipsa „ ampliata, & sancti Clementis vocabulo est, „ sicut placuit, appellata. Ita in suo chronico Ostiensis de Piscariensi cœnobio. Credibile ergo est, si in hocce monasterium revera sancti Clementis Papæ corpus Ludovici Imperatoris opera delatum fuisset, atque Ostiensis ætate ibi requievisset, illius quidem Ostiensem virum ordinis sui amantissimum

simum peculiari nomine meminisse, nec uspiam dixisse Piscariense monasterium *postmodum sancti Clementis, sicut placuit, fuisse appellatum*. Quamobrem ab ejus silentio vehemens educitur conjectura ad fabulam novæ translationis magnopere detegendam.

VIII. Quin immo idem Leo Ostiensis in alio opusculo, quod ex Jacobo Voraginensi, & Petro de Natalibus superius laudavi, corporis sancti Clementis Romam translationem scripsit, nec verbum quidem de altera in Piscariam insulam subjecit. Accedunt plura, quæ refert in eodem Casinensi chronico de Imperatore Ludovico II., & inter alia sequenti capite tricesimooctavo meminit de corpore sancti Germani Capuæ episcopi, quod ipse anno octingentesimo sexagesimosexto in Gallias detulit, cujus quoque translationem Annales Metenses apud Duchesnium in tomo tertio rerum Francicarum testantur. Quapropter si corpus maximi Pontificis & invictissimi Martyris Clementis Roma in Piscariam etiam transtulisset, Ostiensem scripsisse credendum est, eo præcipue quod factum insigni nomine dignum esset, atque in Imperatoris Ludovici, necnon Piscariensis monasterii vergeret ornamentum.

IX. Addendum insuper videtur horum auctorum reticentiæ alterius avorum nostrorum ætate scriptoris silentium, quo hujus negativæ rationis

robur

robur augetur. Is est Paullus Regius episcopus Vicæquensis supra laudatus, qui Sixto V. Pontifice vitas Sanctorum in lucem emisit, quorum reliquiæ in regno Neapolitano coluntur. Et in vita, quam scripsit sancti Clementis Papæ nequaquam Piscariæ insulæ meminit, nec sancti Pontificis corpus in regno Neapolitano deponit; immo capite ultimo, ubi de ejus translatione in Urbem agit, in basilica ejus nomini sacra, in qua reconditum fuerat, inquit adhuc servari, & tantum sancti Præsulis caput Roma olim fortasse in ecclesiam sancti Augustini Neapolis delatum fuisse. Quamobrem si Regius regni sui & patriæ studiosissimus sancti Pontificis corpus Piscariensi basilicæ non asseruit, sed Romanæ, quis non translationis hujus historiam ut commentum refellet? Sed ut hactenus scripta paucis contraham, quum nullus unquam inter antiquos gravis fidei auctor sancti Clementis Papæ corpus in Piscariense cœnobium translatum fuisse memoriæ tradiderit, & præsertim inter æquales & suppares sive Francos, sive Germanos scriptores, qui Imperatorum, & Ludovici II. res gestas diligenti studio prodiderunt, proinde est ut negativa hæc ratio ponderis plurimum habeat & roboris, idque nullus sanæ mentis vir ut falsitatis hujus historiæ insigne argumentum inficiari possit.

CAPUT X.

Singula ſuppoſiticiæ translationis hiſtoriæ momenta examinantur, ejusque plurimæ vitia deteguntur, quibus ut figmentum rurſum illa reprobatur.

I. LICET quæ hucuſque longa diſputatione præmiſi ad iſtius fabuloſæ narrationis confutationem abunde ſufficerent, tamen ut clarior ejus falſitas appareat, ſingula vitia, quibus magnopere ſcatet, lectoris ob oculos ponam. Sed prius cum Baronio ad annum Chriſti ſexcenteſimumquartum animæ Trajani ab inferis revocatæ commentum explodente lectorem meum ad hujus fabulæ examen ſic compellabo: *Sede quæſo arbiter, lector, appello te veritatis amantem, non quem privata affectio quum ſemel imbuerit, ſit impoſſibile vel mille funibus ex rationibus a veritate bene compactis vel latum unguem e ſententia dimoveri.*

II. Primum itaque Berardus in exordio & in decurſu narrationis, atque in toto chronico ab au-

auctoribus exiguæ fidei instructus, scribit Ludovicum II. Imperatorem principem fuisse integerrimum, Romanæ ecclesiæ amantissimum, & sanctitate præstantem, ut etiam alii plures eidem, immodicis laudibus subdole blandientes scripserunt: quod quidem veritati haud consentaneum esse optime patefacit Cardinalis Baronius in Annalibus, ubi infensam sæpe dolet in Romanam ecclesiam Ludovici mentem, cujus in animo semper insederat Romæ dominandi libido. Et præcipue ad annum octingentesimum quadragesimumquartum, Sergio II. Pontifice, ejus exercitum Romæ suburbia vastantem ita ex Anastasio describit: „ Postea vero continuis diebus sequentibus omnia „ suburbana pestifera devastatione compresserunt, „ agrosque, & segetes atque prata quasi fulmineus „ impetus destruxerunt. Mox novem post annos tradit, Anastasio itidem teste, Ludovicum suorum legatorum opera prave conatum fuisse ut sibi vendicaret summi Pontificis electionem, defuncto Leone IV., contra Benedictum III. ad Pontificatum unanimi patrum consensu assumtum in odium Romani cleri Anastasium olim sancti Marcelli presbyterum a Leone anathemate perculsum atque depositum perditissimum hominem in apostolicam Sedem intrudere. Præterea undeviginti alios post annos infandum narrat ex Herempert chronico de gestis principum Beneventanorum ejus-

N dem

dem Imperatoris exemplum, quod adversam satis in catholicam religionem indicat mentem. Enimvero Theutgaudo Trevirensi, & Gunthario Coloniensi episcopis schismate infectis, & majori excommunicatione damnatis, quum Romam pro eorum restitutione ad Nicolaum I. Pontificem contenderit, & Pontifex ad eos restituendos haud facilis esset, idemque de more ei cum clero in occursum accederet, vesana percitus indignatione, clerum fustibus cædi, cruces, omniaque religionis ornamenta calcari jussit, urbemque magna ex parte deprædatus, Pontificem ipsum ab apostolicæ Sedis culmine deturbare molitus est. Quibus primo constat historiam translationis a Berardo collectam nullam profecto mereri fidem, qui haud recte Ludovicum pietatis & religionis laude cumulavit.

III. Deinde scribit Chronographus eundem Ludovicum ex Aprutio Romam reversum, ibidem *in Capitolio ab Hadriano II. Pontifice Imperiali laurea fuisse coronatum*; & tamen una est auctorum sententia vel anno quadragesimoquarto supra octingentesimum a Sergio II. Imperiali corona donatum fuisse, ut hoc anno testatur Adonis æqualis scriptoris chronicon his verbis: „ Lotharius „ filium suum Ludovicum, quem in Italia regem „ fecerat, ut Imperatoris nomen sortiretur, per „ Drogonem patruum Romam mittit, cui Sergius „ jam tunc Pontifex coronam imposuit, & acclamante

„ mante universo populo Imperator & Augustus „ est salutatus: quod etiam Leo Ostiensis in suo chronico libro primo capite undetricesimo ceterique confirmant; vel saltem a Leone IV. anno octingentesimo quadragesimooctavo, ut ex actis Concilii Romani sub eodem Leone quinquennio post celebrati colligit Cardinalis Baronius ad annum octingentesimum quadragesimumquartum, ubi annus octingentesimus quinquagesimustertius Ludovici II. Imperatoris quintus bis ponitur; unde Ludovicum ab Hadriano II. Imperii coronam nunquam accepisse compertum est. Verum quidem tradunt scriptores anno octingentesimo septuagesimoprimo Ludovicum Imperatorem ab Hadriano Pontifice Romæ die Pentecostes in Francorum regem diademate ornatum fuisse tanquam legitimum Lotharii fratris defuncti successorem, quod Aimoini testimonio ad hunc annum notat Baronius, necnon Dubravius in historiæ Bohemicæ libro secundo, aliique historici, nunquam tamen ab eodem Hadriano, ut putavit Berardus, *in Capitolio Imperiali laurea* coronatum fuisse tradiderunt.

IV. Quod autem facti hujus seriem historicam spectat, reditum scilicet Imperatoris Roma in Apritium, quo perperam ait Berardus sancti Clementis corpus secum in Piscariæ insulam honorifica pompa deportavisse, ferunt quidem

anno octingentesimo septuagesimoprimo, obtenta Romæ Francorum corona, iterum *in partes Beneventanas* perrexisse, nihil vero de corpore sancti Clementis Papæ, neque alterius Cœlitis in cœnobium Piscariense anno sequenti delato meminerunt, nec prorsus Imperatorem in Piscariæ insulam advenisse, sed tantum recto tramite Beneventum rediisse, ubi eodem anno ultra octingentesimum septuagesimosecundo ab Adelgisio duce turpissima proditione aggressus, in carcerem conjectus est.

V. Inferius inquit Berardus, sequuta sacri corporis translatione, Piscariensem basilicam sollemni more *in honorem sanctissimæ Trinitatis, & sancti Clementis dedicatam fuisse*; id autem Leonis Ostiensis testimonio, quod de Piscariensi monasterio in medium profert, haud consentire observavi. Ait nanque Ostiensis in libri primi capite tricesimoseptimo *Ludovicum Imperatorem ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis construxisse, & postmodum ab ejusdem loci abbatibus ipsa ampliata, sancti Clementis vocabulo, sicut placuit, fuisse appellatam*. Quapropter si Piscariensis basilica sanctæ Trinitatis nomini duntaxat Ludovici ætate constructa fuit, eoque e vivis sublato, diu post ab abbatibus monasterii ampliato ædificio, sancti Clementis nuncupata, ut Leo Ostiensis enunciat, quem *sinceræ veritatis & integerrimum* *sui*

sui temporis scriptorem laudat Baronius ad annos supra millesimum quinquagesimumnonum, & septuagesimumseptimum, proinde Berardo fere æquali, sive tabularii Piscariensis scriptis, ex quibus Berardus supposititiæ translationis historiam deduxit, nulla fides præstanda est, quum falso ab illis monitum sit eandem basilicam etiam sancti Clementis nomini Ludovici Imperatoris ætate sacram fuisse.

VI. Exquirendum ergo superest quando, & quare ecclesia sive monasterium hoc Piscariense sanctæ Trinitatis primo dictum, *postmodum ab ejusdem abbatibus sancti Clementis fuerit appellatum*: id vero nonnisi conjecturis eruitur; Ostiensis enim, qui rem ab obscuris educere poterat, silentium tenet, & tantum *ita placuisse* significat. Hinc quo ad tempus, paullo ante Henricum I. Imperatorem, & paullo post Ottonem Magnum circa undecimum æræ Christianæ sæculum primitus appellatum fuisse existimavi. Nonnulla hoc probant Pontificum, & Imperatorum diplomata, aliaque monumenta absque vitii labe in eodem Berardi chronico contenta: quorum prior in libro secundo sese offert monachorum Casauriensium epistola anno millesimo vicesimoquarto ad præfatum Henricum directa, ubi primum in toto chronico *sancti Clementis monasterii* fit mentio; quod & alia deinde subsequentia Imperatorum, aliorum-

que

que Pontificum præstant rescripta. Antiquiora autem ante Henricum I. Imperatorum privilegia, etiam quæ corrupta sunt, duntaxat *sanctæ Trinitatis monasterium* appellant. Quo ad caussam huc revocandum est quod nuper in capite octavo dictum fuit, in quo de origine commenticiæ translationis historiæ disserui, ubi inter alia me scripsisse memini ab homonymia vel nominum similitudine facile exortam fuisse. Quum enim Piscariense cœnobium alterius sancti Clementis corpore circa Ottonis Magni Imperatoris ætatem, ut arbitror, donatum fuerit, cujus certa monumenta annorum injuria vel direptionum calamitate perierint, ideo fortasse *sancti Clementis* nomine *ab ejus abbatibus* integro & ultra ante Berardum sæculo paullo ante Henrici I. Imperium fuit *postmodum* nuncupatum. Id primum arguitur ab ejusdem Ottonis diplomate, quod datum est anno nongentesimo sexagesimonono, ubi notatur: *monasterium dedicatum in honorem sanctæ Trinitatis in loco, ubi dicitur insula Piscariæ, & vocatur Casaurea*, UBI CORPUS BEATI CLEMENTIS RECONDITUM EST; quod scilicet quum primo ante alia, quæ corrupta non sunt, beati Clementis corpus commemoret, hinc conjecturam suggerit, deinceps monasterium ab Ottonis ævo sensim a Piscariensibus sancti Clementis etiam ob illud corpus vocitari cœpisse, & non multos post annos circa Henrici I. tempora omni-

omnino fuisse appellatum, cujus ætatis in Casauriensium epistola jam prima suppetunt testimonia. Quod luculenter deinde confirmatur a quodam alio Henrici II. Imperatoris diplomate anno ultra millesimum quadragesimoseptimo subscripto, in quo legitur: *monasterium sanctæ Trinitatis*, ET BEATI CLEMENTIS MARTYRIS INIBI QUIESCENTIS; necnon ab alio inferioris ævi Calixti II. Pontificis, quod anno millesimo centesimo vicesimoprimo signatum est, ubi hæc sunt: *monasterium* BEATI CLEMENTIS, UBI VIDELICET GLORIOSISSIMUM CORPUS EJUSDEM MARTYRIS REQUIESCERE CREDIMUS.

VII. Et quod revera alterius sancti Clementis martyris & non Pontificis nomen sortitum fuerit, eadem Pontificum, Imperatorum, monachorumque rescripta suadent. Laudata enim Casauriensium monachorum ad Henricum epistola *sancti Clementis*, & *sancti Clementis martyris* solum monasterium vocat. Itidem quoddam Imperatoris Chuonradi diploma circa annum millesimum tricesimumseptimum *abbatiæ sancti Clementis martyris* meminit. In alia deinde Piscariensium monachorum charta de electione Dominici abbatis anni millesimi quadragesimisexti, necnon in præfatis Henrici II., & Calixti pariter II. diplomatibus, atque apud Leonem Ostiensem, ubique *sancti Clementis martyris*, *beati Clementis martyris*, *beati Clementis*, & *sancti Clementis* legi-

legitur nomen: quod etiam observandum est in privilegiis Pontificum Alexandri II., Gregorii VII., Alexandri III., aliorumque, iis exceptis, quæ vel Berardi ævo curata sunt, vel in tabulario pridem interscripta fuerant, in quibus Pontifices *abbatis & monasterii sancti Clementis martyris*, vel *beati Clementis* tantum meminere. Quapropter satis superque perspectum habeo Piscariense monasterium alterius sancti Clementis nomine ob ejus corporis illuc translationem inferiori sæculo vocatum fuisse, quod veterum tabularii chartarum scriptor sancti Clementis Pontificis falso putavit, unde cetera de illo subjecit fabulamenta; ac propterea ab ejusdem commentis sancti Clementis Papæ & Martyris vocabuli in posteros fama descendit, quam postea Berardus in suo chartario velut legitimam deceptus agnovit.

VIII. Verum tamen ad nostram tuendam opinionem probasse satis est Piscariense cœnobium nunquam sancti Clementis Papæ corpus obtinuisse, & novam illuc translationem leve fuisse figmentum. Ad quod magnopere confirmandum accedunt aliæ, quibus ejus narratio respersa est, aniles fabulæ, scilicet inopportuna cardinalium congregatio ab Imperatore præcepta, indecorus cleri consensus ab eodem Ludovico alta voce expetitus, inepta sacri corporis elevatio, ejusque ab Urbe discessio haud rite peracta, Romani populi gratulationes sacrum

pignus

pignus comitantis, indebita Imperatoris dubitatio de venerabili corpore, aliaque hujus generis plurima risu potius despicienda, quæ vel modicum quisque eruditus ut ineptias respueret.

IX. Quibus adstipulatur alius etiam de sacro corpore insignis error, scilicet *Ludovicum Imperatorem, postquam diligenter aspexis ne aliquid deesset, involvisse* TOTUM CORPUS *in pretioso pallio*; quo verborum sensu Berardus intelligit totum sancti Pontificis corpus elevatum atque translatum fuisse, quod tamen historicorum traditioni, & rei veritati haud consentit. Scio enim (ut infra scribendum erit) jam ante translationem Chersona in Romanam urbem venerabile corpus brachio caruisse, quod sanctus Illidius Arvernensis episcopus abstulit, & Arvernas deportavit, de quo itidem mentionem agit Mabillonius in suis Annalibus ad annum quingentesimum quadragesimumsecundum; aliquam præterea sacri corporis partem Chersonæ relictam fuisse putant Bollandiani; quinimmo alii sanctissimum ejus caput ibi remansisse, deinde alio translatum testantur. Unde si mutilum erat sancti Clementis Papæ corpus jam ante translationem ejus in Urbem, quomodo Berardus *totum corpus* a Ludovico Imperatore delatum fuisse Piscariam adstruere potuit? Neque hic locum habent quæ communi eruditorum sensu ferri solent ad componendas hujusmodi sacrorum corporum,

contentiones, scilicet aliquando morem invaluisse apud veteres parti etiam minimæ corporis totius corporis nomen tribuendi; nanque Berardi verba, quibus sacri corporis elevationem describit, luculenter nimis singula ejus ossa, & totum corpus elevatum atque translatum fuisse distinguunt, nec aliam prorsus explicationem admittunt.

X. Hic demum notam merentur verba: *Imperator traxit singulatim omnia ossa ejus*, necnon: *involvit totum corpus in pretioso pallio*. Quam autem a verisimili abeat Ludovicum traxisse singulatim omnia ossa sancti Clementis, & involvisse totum corpus in pretioso pallio, illi facile persuasum est, qui sacrarum reliquiarum non ignorat existimationem, & quanti illas fecerint antiqui Pontifices, Imperatores, & principes: quos inter Carolus Magnus, Carolus Calvus Imperatores, sanctus Ludovicus, & Robertus Galliarum reges, aliique principes, ut notat Ferrandus in libro primo capite septimo, propriis humeris Sanctorum reliquias gestare summi beneficii loco duxerunt. Sanctus Gregorius Magnus tanti Sanctorum reliquias habuit, ut illas tangendi etiam Pontifex se indignum putaret. Quum enim Constantia Augusta sanctum Pontificem postulaverit, ut sibi sancti Paulli apostoli caput largiretur ad novæ basilicæ, quam ejus nomini ædificaverat, ornamentum, piæ Imperatricis precibus nequaquam indulsit, cum mini-

minime fieri possit, ut vel leve aliquid a sancti apostoli corpore subtraheretur, quod ne extremis quidem digitis sine apertissimo capitis periculo se contingi patiebatur: „ In Romanis nanque (ipse ad Augustam scribit epistola tricesima libro tertio) „ vel totius occidentis partibus omnino intolera- „ bile est atque sacrilegum si Sanctorum corpora „ tangere quisquam fortasse voluerit: quod si „ præsumserit, certum est quia hæc temeritas „ impunita nullo modo remanebit. Et post pauca suum illud effatum illustri confirmat prodigio: deinde concludit: „ Quis ergo nunc, serenissima „ domina, tam temerarius possit existere, ut „ hæc sciens eorum corpora non dico tangere, „ sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Si itaque summi & sancti Pontifices nedum tangere, verum etiam inspicere Sanctorum reliquias & corpora timuerunt; & reges, aliique sæculi principes illas propriis gestare humeris summo honori habuerunt, quomodo tam facili ac familiari manu Ludovicus II. Imperator sanctissimi Papæ & Martyris Clementis venerabile corpus coram Hadriano Pontifice contrectare potuit, *ejus ossa singulatim trahere, atque in pretioso pallio involvere*? Id quidem modicæ veritatis præfert imaginem.

CAPUT XI.

Primum ex adverso argumentum destruitur, scilicet Berardi chronici auctoritas, qua exsistentia corporis sancti Clementis Papæ & Martyris in basilica Piscariensi frustra contenditur.

I. REJECTA satis inter commenta venerandi corporis translatione in Piscariense cœnobium, rejicienda superest ejusdem inibi exsistentia, quæ plurium argumentorum congerie a Berardo non levi opera vindicatur: & primum ut novæ translationis historiam tueatur, etsi absque suppostoris labe, sparsim in chronico veterum, quas collegit chartarum, auctoritate eidem monasterio sancti Clementis Papæ corpus tanquam monumentum longa sæculorum traditione firmatum adjudicat; idque sibi credibilius videtur ex altero, quod prodit itidem e tabulario Casauriensi, minus veteri facto de quadam sacri corporis inventione inter inanes fabulas etiam ableganda, sub Paschale II. anno millesimo centesimoquarto con-

confictа. Hujus, quæque sit, narrationem in chronici libro tertio descriptam ipsius Berardi verbis dandam duxi, cujus singula deinde momenta discutientur, & quibus exundat, aperientur errores.

II. „ Mortuo sanctæ recordationis Urbano
„ Papa, Paschalis sede locatus Pontificali, meruit
„ infula decorari. Qui mittens unum de cardina-
„ libus suis, Augustinum nomine, vice legati præ-
„ cepit, ut Attonem comitem, qui propria ac le-
„ gitima uxore relicta, & ea vivente sibi alteram
„ duxerat, excommunicaret. Et paullo infra.:
„ Legatus insulam Piscariensem, in qua monaste-
„ rium sancti Clementis est, devenit, ibique maxi-
„ mo cum honore susceptus &c. Hic dum fami-
„ liariter in monasterio cum abbate Grimoaldo
„ & fratribus maneret, & de statu ecclesiæ, & reli-
„ quiis, quæ in eo continebantur, requireret,
„ audivit CORPUS BEATI CLEMENTIS IBI TUMULATUM
„ JACERE. Sed ad hoc credendum nulla potuit pro-
„ vocari ratione, donec abbas ei promisit, quia
„ ostensione ejusdem sacrosancti corporis ipse du-
„ bius dubio faceret fidem dictis. Adveniente ita-
„ que beati Clementis festivitate, & eodem cardi-
„ nali præsente sollemniter, ut moris est, cele-
„ brata, venit nox, fratresque sicut mos est post
„ completorium petiere cubicula, & abbas duos
„ de fratribus, & duos de famulis suis, de quorum
„ fide & religione minime dubitabat, in ecclesia
la-

„ latenter jussit manere, donec in media nocte
„ accensis luminibus, & obseratis portis firmiter,
„ super se datis sibi ferramentis, frangerent tum-
„ bam, quæ erat post altare, & diligenter inqui-
„ rerent, donec invenirent quod sufficeret & incre-
„ dulitati cardinalis, & multorum dubitationi.
„ Qui parentes mandatis fregerunt tumbam, &
„ invenientes vacuam, timuerunt supervacaneum
„ esse laborem suum, & fallacem assertionem mo-
„ nachorum.

III. Mox subdit: „ Tandem animati rupe-
„ runt pavimentum, ibique nihil invenientes fre-
„ gerunt secundum, & facto foramine, tanto su-
„ bito sunt repleti odore, ut putarent se in para-
„ diso Dei adstare; tantusque sonitus auditus est
„ ex percussione secundi, ut videretur illis, qui
„ præsentes aderant ibi, corruisse totum monaste-
„ rium fractis parietibus cunctis. Quum autem
„ tremefacti instarent labori, & avidi contem-
„ plari cœlestis thecam thesauri, invenerunt su-
„ bito quod desiderabant, pretiosum corpus ve-
„ nerabilis Martyris Christi et Romani Pon-
„ tificis sancti Clementis in vase alabastri,
„ in quo illud posuerat cautela et providen-
„ tia venerandæ memoriæ Imperatoris Ludo-
„ vici. Quod videntes vas tangere non fuerunt
„ ausi, sed statim nunciaverunt abbati quæ vide-
„ rant, quæ invenerant, & quæ contigerant illis:
qui

„ qui excitus a ſomno confeſtim ſurrexit de ſtratu
„ ſuo, & convocatis fratribus & cardinali, cum
„ timore & reverentia acceſſerunt ad locum, &
„ facta primitus oratione, cum ſingultu & lacrymis
„ aperuerunt thecam theſauri, & invenerunt titu-
„ lum aureis literis ſcriptum: HIC JACET SANCTUS
„ CLEMENS PETRI DISCIPULUS, ET A PETRO PAPA
„ SECUNDUS, QUI JUSSU TRAJANI IMPERATORIS AN-
„ CHORA AD EJUS COLLUM LIGATA FUIT IN PELAGO
„ MERSUS. Quem titulum quum legeret cardinalis,
„ ejus facies illico eſt perfuſa ubertim profluen-
„ tibus lacrymis, QUUM PRO CERTO COGNOVISSET
„ QUOD IBI SANCTUS CLEMENS JACERET.

IV. Deinde paucis interjectis: „ QUUM AU-
„ TEM CORAM CUNCTIS SINGILLATIM MEMBRA BEATI
„ VIRI NEC UNUM OS DEESSE CONSPICERENT, inve-
„ nerunt etiam de carne beati Petri, & unum de
„ dentibus ſancti Paulli. Caro vero beati Petri
„ ita mollis effecta erat, quaſi lana munda, &
„ quando conſtrinxit eam cardinalis cum manu
„ dextera, videbatur ſibi quaſi nihil eſſet in pal-
„ ma, quando aperiebatur ipſa manus, caro rever-
„ tebatur ad quantitatem, quam habuerat antea.
„ Videns autem cardinalis magna mirabilia Dei,
„ credidit quod prius non credebat, eſſe videlicet
„ IBI BEATUM CLEMENTEM CORPORALITER, ET IN
„ VIRTUTE SPIRITUALITER. Et remeans retulit quæ
„ viderat ſummo Pontifici, domno videlicet Papæ
Paſ-

„ Paschali, & omnibus concardinalibus suis, qui
„ unanimiter reddiderunt gratias Salvatori, qui
„ non frustratus fuerat Italiam Romano Ponti-
„ fice, sancto scilicet Clemente reverendo Mar-
„ tyre.

V. Hinc post aliqua: „Facta est igitur hæc
„ ostensio pretiosissimi corporis gloriosi Pontificis
„ & Martyris Christi Clementis post festum ejus-
„ dem altero die, anno Dominicæ incarnationis
„ millesimo centesimoquarto, indictione decima.
„ Abbas vero Grimoaldus ultra modum lætus
„ effectus, quia certus erat inde, unde multorum
„ dubitatio eum aliquantulum dubitare compel-
„ lebat, construxit altare, convocato episcopo
„ Valvensi, nomine Gualterio. Collocavit idem
„ præsul Gualterius in eodem altari SACROSAN-
„ CTUM CORPUS CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS IN-
„ TEGRUM TOTUM, sicut traditum fuerat Ludovi-
„ co Imperatori, excepta una particula, ad re-
„ cordationem posterorum, & certitudinem præ-
„ sentium, & remedium ægrotantium. Postquam
„ altare fuit clausum & bene signatum plumbo &
„ ferro, dedicavit illud præfatus episcopus jussu
„ Grimoaldi abbatis decimo kalendas Novembris,
„ anno millesimo centesimoquinto. Supradictis
„ itaque ac aliis modis clarificavit Dominus me-
„ rita beati Clementis ad correptionem præsen-
„ tium, & eruditionem futurorum, ostendens

EUM

„ EUM IN MONASTERIO PISCARIENSI ESSE RECON-
„ DITUM.

VI. Hucusque Berardus in chronico; quæ sane omnia veritati nequaquam consentanea esse prudens nemo non videt. Hujus inventionis oculatum testem eundem Berardum perperam putavit Acherius in præcitato prologo ad tomum quintum Spicilegii. Id enim nec ipse in chronico usquam prodit, nec testem se fuisse in narratione significat; immo nec adhuc in humanis forte egisse, nedum jam monasticum habitum induisse potest existimari: quandoquidem si Leonatis ævo chronicum collegit & scripsit, atque ad ejus usque obitum, ad annum scilicet millesimum centesimum octogesimumsecundum perduxit, quo illum e vivis ereptum dolet, diuturnam nimis atque longævam super terras explevisset ætatem, & jam Leonatis tempore centenarius saltem prope fuisset; unde potius Mabillonii sententiæ in libro tertio capite quinto de re diplomatica suffragamur, qui Berardum medio sæculo duodecimo vixisse perhibet, itaquod Paschalis tempora vidisse nisi difficile admodum dici non possit.

VII. Verum ad menda chronici detegenda primum omnium præsertim æqualium auctorum sese offert silentium, qui nec hujus inventionis ussiam verba fecerunt, nec plurium, quæ scribit Berardus, meminerunt. Huc propterea revocandum

P ite-

iterum foret negativæ rationis superius explanatum pondus, quod chronici fabulis recludendis valde consonum esset; at ne crambe recocta lectori stomachum provocem, singula tantum, quæ animadverti, chronici vitia perpendam. Et primo legationis hujus a Paschale II. in Aprutium ad Attonem comitem Aprutinum scriptorum nullus unquam meminit, etsi de aliis pluribus ab eodem Pontifice in hanc regni Neapolitani partem demandatis legationibus scripserint, & Romanæ ecclesiæ cardinales, qui eas laudabiliter objierunt, literarum memoriæ commiserint: quibus accedit cardinalem hunc, Augustinum nomine, qui circa Paschalis II. tempora vixerit, in ecclesiasticis tabulis non reperiri.

VIII. Ceterum quod præfatam inventionis narrationem etiam ut fabulam condemnat, quodque potiora damnationis suggerit argumenta, est ipsiusmet auctoris (quicunque fuerit) imperitia, quam Berardus ejusdem hærens vestigiis, suis verbis vulgavit. Minus enim cautus in hujus commenti additione inauditam tradit & prorsus novam fuisse famam exsistentiæ corporis sancti Clementis Papæ in Piscariensi basilica, ita quod *cardinalis Augustinus adhoc credendum nulla posset provocari ratione*, necnon de illa abbatem Grimoaldum, aliosque vehementer jam prius dubitavisse; unde Paschalis tunc ævo hanc certam in-

invaluisse traditionem incautus scribit, nec fingit Romæ, aut alibi ante suppositiciam inventionem prius communem atque acceptam fuisse. Debuisset enim hujus sacri corporis existentiæ famam tanquam diu celebrem in toto orbe prodidisse, ejusque translationem velut factum in hominum ore jampridem versatum atque receptum. Quin etiam, quum ante Alexandrum III. translationis festum in insulam Piscariensem a Piscariensibus monachis celebraretur, ut innuit idem Berardus, si forte hoc ipso fabularum auctore superstite illud celebrabatur, imperite nimis de sacri corporis existentia deinde dubitatum fuisse scripsisset.

IX. Omissa hinc mendosa, quæ fingitur, sepulcrali epigraphe, qua *Clemens a Petro Papa secundus* inscribitur, illud insuper notandum est, quod rursus fabulam sapit, scilicet *ita inventa fuisse membra beati viri, ut nec unum os deesse conspexerint*, quod sane falsum esse nuper allata evincunt, ubi jam ante translationem in Urbem sacrum corpus mutilum fuisse memoravi.

X. Aliud sequitur ingens commentum, quod facile itidem exploditur; nimirum *simul cum corpore sancti Clementis inventam fuisse carnem beati Petri, quæ ita mollis effecta erat, quasi lana munda*; id enim fabulosum esse ac ficticium, ex eo præsertim persuasum habui, quod ab immemoriali temporis serie sancti Petri corpus in ossa

redactum fuisse nonnulla vetera monumenta declarant. Exstat nanque in Vaticana basilica, ut scribit Paullus Arringhius in sua Roma subterranea libro tertio capite pariter tertio, ad laevam ingredientium juxta fontem lustralis aquae marmorea tabula olim in Vaticanis cryptis servata, quae Jubilei anno sexcentesimo quinquagesimo supra millesimum Innocentio X. sedente publicae piorum venerationi exposita fuit, ubi, ut antiqua fert traditio, ipsamet apostolorum Petri & Paulli veneranda corpora a sancto Silvestro Pontifice divisa fuere in singulis eorum basilicis tumulanda. Ejus inscriptio Langobardicis characteribus exsculpta sic legitur:

SVPER ISTO LAPIDE PORPHYRETICO
FVERVNT DIVISA
OSSA SANCTORVM APOSTOLORVM
PETRI ET PAVLI
ET PONDERATA
PER B. SILVESTRVM PAPAM
SVB ANNO DOMINI CCCXIX
QVANDO FACTA FVIT IN ECCLESIA

De

De quo lapide, ut Franciscus Maria Turrigius testis est in suo libro de cryptis Vaticanis, quammulti scriptores meminere; subditque Johannes Belleth in explicatione divinorum officiorum capite centesimo duodequadragesimo quum sacra apostolorum ossa ab invicem dignosci atque secerni haud possent, adhibitis precibus ac jejuniis, re a Deo explorata, divinitus revelatum fuisse grandiora, videlicet esse beati Paulli apostoli, minora vero beati Petri: quapropter utraque a Silvestro Pontifice ex æqua portione pensata fuerunt, & partim sub altari basilicæ Vaticanæ, partim sub illo basilicæ sancti Paulli in via Ostiensi sollemni ritu recondita. Si ergo Silvestro Pontifice, Constantino imperante, in ossa redactum erat sancti Petri apostoli corpus, quomodo pars ejus sedente Paschale II. octingentos fere post annos *caro mollis quasi lana* esse unquam potuit? Præterquod idem Berardus in historia translationis, ubi Ludovicum Imperatorem *apostolorum Petri & Paulli reliquias* cum corpore sancti Clementis ab Hadriano II. dono habuisse scribit, carnis haudquaquam meminit, quam nequidem Pontifex Hadrianus tradere potuisset.

XI. Quin immo parum credibile est Hadrianum Pontificem has sanctorum apostolorum reliquias Ludovico Cæsari largitum fuisse, & æqualium auctorum neminem in posteros transmisisse me-

moriam. Quoties enim veteres Romani Pontifices nedum apostolorum, verum etiam aliorum martyrum ossa & pignora regibus, principibus, aliisque viris optimatibus impertiti sint, id nunquam auctores silentio præteriisse manifestum est Annales ecclesiasticos, Gregorium Turonensem, aliosque sacros scriptores perlustranti, ubi plura reliquiarum munera a Pontificibus undequaque elargita memorantur. Palam ideirco sunt apud historicos apostolorum Petri & Pauli reliquiæ, quas Pontifex Vitalianus Osluvio Saxonum regi dono misit, cujus epistolam habet Cardinalis Baronius ad annum sexcentesimum sexagesimumquintum. Scripserunt de capillis sancti Pauli, quibus Johannes V. Pontifex Edaldum Viennensem archiepiscopum donavit, eosque recensuit Johannes a Bosco in capite tertio antiquitatum Viennensium. Scripserunt itidem de baculo sancti Petri, quem Bruno Coloniensis archiepiscopus Ottonis Magni Imperatoris frater Roma Coloniam transtulit, ut notavit Albertus Crantzius in sua Metropoli libro tertio capite vicesimoseptimo; necnon de ejus catenis usque memoriam retinuerunt, quarum limaturam aureis in claviculis repositam ad Imperatores, episcopos, ac principes pretiosi muneris loco transmittere Romani Pontifices consueverunt, ut sæpenumero mentio est in epistolis sancti Gregorii Papæ: aliaque tradiderunt eorundem sanctorum apostolorum pi-

pignora in Angliam, Galliam, ceterasque orbis partes dono missa; nec tamen ullum prorsus verbum de hisce Ludovico Imperatori elargitis auctores vel suppares vel inferioris ævi fecerunt: quapropter unicum super illa Berardi testimonium vetustioris expers ob tabularii defectum juxta Baronii censuram contemptum meretur.

XII. Non levem præterea postulat discussionem ficticius Romam cardinalis Augustini reditus ad Paschalem Pontificem, quem Berardus de hac sacri corporis inventione, omnesque Romanæ ecclesiæ cardinales certiores fecisse subdit, illosque proinde ingenti plausu novum id excepisse. Quandoquidem si hæc inventio reipsa vera fuisset, atque in Romana curia, ut ait Berardus, palam omnibus innotuisset, utique Leo Ostiensis episcopus ab eodem Paschale assumtus (qui nonnisi post decennium fatis concessit) in Casinensi chronico, ubi de Piscariensi monasterio meminit, aliquid indicasset, & ad ornamentum ac dignitatem cœnobii, de quo scribebat, insignem adeo memoriam non tacuisset. Quod sane Leonis Ostiensis silentium, aliorumque æqualium malæ fidei hujus inventionis ceterarumque fabularum auctorem insimulant, quam admodum augent aniles omnes ineptiæ, quibus ejusdem inventionis historiam fœdavit.

XIII. His addendum videtur aliud chronici erratum in exordio primi libri, ubi Berardus hæc

ha-

habet: „ Anno Dominicæ incarnationis octingentesimo quinquagesimoquarto Imperii vero domni Ludovici tertio, & patris ejus Lotharii Augusti tricesimoquarto, indictione prima currente. „ Quum idem gloriosus Imperator in comitatum „ Pinnensem devenisset, & jam ipsum monasterium „ fieri votivo corde cœpisset, emit ad honorem „ Dei, & beati Clementis, & ad perpetuum commodum sanctæ suæ Piscariensis ecclesiæ uberes & „ largas possessiones &c. Annus enim incarnationis octingentesimus quinquagesimusquartus nunquam esse potuit Imperii Ludovici tertius, nec Lotharii patris tricesimusquartus, quecquid sit de indictione, quam & mendosam esse observavi. Et quo ad Lotharium nullibi tradunt auctores anno octingentesimo vicesimo vel Imperiali corona donatum fuisse, vel Imperii tegimen suscepisse, quemadmodum alioqui dicendum foret, ut annus octingentesimus quinquagesimusquartus esse posset ejus Imperii tricesimusquartus. Si ergo Imperii Lotharii annorum numeratio a prima ejus coronatione sumenda sit, hæc accidit, ut scribit Cardinalis Baronius, anno octingentesimo decimoseptimo in conventu Aquisgranensi, imperante adhuc Ludovico Pio ejus patre: si vero ab altera Pontificis manu, hæc fuit anno octingentesimo vicesimotertio, quo Paschalis I. Pontifex illum Romæ Imperiali diademate decoravit: vel demum si ab obitu patris, quo humanis

manis curis exemto, solus Imperii gubernaculum adeptus est, id contigit anno octingentesimo quadragesimo, duodecimo kalendas Julii; ita quod annus octingentesimus quinquagesimusquartus nullo modo trahi possit ad annum Imperii Lotharii tricesimumquartum. Quo ad Ludovicum II. Lotharii filium, cujus Imperii annus tertius, Lothario patre adhuc superstite, eodem anno octingentesimo quinquagesimoquarto a Berardo notatur, mendum quoque irrepsit, & Berardus chronologicarum rerum satis imperito scriptori adhæsit. Si enim Imperii Ludovici chronologia numeranda sit ab anno, quo Imperiali laurea a Romano Pontifice coronatus fuit, scilicet ab anno octingentesimo quadragesimoquarto, quo scribunt a Sergio II., vel ab anno octingentesimo quadragesimooctavo, quo alii putant a Leone IV. ejus coronationem celebratam fuisse; quocunque tempore Imperii coronam Ludovicum accepisse dixerim, nunquam annus octingentesimus quinquagesimusquartus ejus Imperii tertius fuisse deprehenditur.

XIV. Accedit ex allatis chronici verbis multo majoris momenti vitium. Ait nanque Berardus Ludovicum Imperatorem, quum hoc anno octingentesimo quinquagesimoquarto *in comitatum Pinnensium devenisset, & jam monasterium Piscariense fieri votivo corde cœpisset, emisse ad honorem Dei, & BEATI CLEMENTIS uberes & largas*

possessiones; quæ verba insignem involvunt errorem, & prænarratæ fundationis historiæ adversantur. Nescio enim unde Berardus dicere unquam possit in chronico, anno octingentesimo quinquagesimo-quarto Imperatorem Ludovicum *votivo corde cœpisse monasterium, & emisse ad honorem Dei & beati Clementis possessiones*, si jam dixerat in historia fundationis Piscariensi idem cœnobium sanctissimæ Trinitati tantum condere statuisse, illudque postea alicujus Cœlitis donare reliquiis optasse. Nec tunc temporis de sancto Clemente Pontifice, ejusve corpore cogitare poterat Imperator, si necdum Chersona Romam illud asportare sanctus Cyrillus cogitaverat. Tunc autem primitus cogitasse Ludovicum item scripsit Berardus in præfata fundationis historia, quum Romam, sedente Hadriano II. profectus, illud recens Chersona translatum audivit; quo deinde adepto, ejus etiam nomini sacrum facere monasterium cogitavit. His itaque in historia fundationis a Berardo præmonitis, unde modo in chronico proferre in medium potest, Ludovicum Imperatorem duodeviginti circiter ante annos *ad honorem beati Clementis uberes possessiones emisse*? Cetera demum, quæ in eodem chronico res historicas spectant, ut in præsens aliena, singularem non exigunt discussionem; sat enim fuit quæ ibi de venerabili corpore scripta sunt, inter commenta reposuisse.

CA-

CAPUT XII.

Secundum argumentum eliditur, scilicet antiquiora Ludovici II. Imperatoris diplomata, quæ corporis sancti Clementis Papæ & Martyris existentiam in Piscariensi basilica perperam enunciant.

I. CHRONICI Piscariensis auctoritate refutata, nonnulla etiam plurium Imperatorum refutanda ibidem subjiciuntur diplomata, quæ corpus sancti Clementis Papæ in Piscariensi basilica conditum enunciant; illa enim vel prorsus adulterina, vel saltem aliqua verborum interpositione corrupta fuisse animadverti. Quanta ceteroquin apud antiquos fuerit pro diplomatibus cura ac diligentia ne falsariorum manus inciderent, pereudite disseruit *regum Francorum veterum diplomatum* acerrimus vindex Justus Fontaninus Romani archigymnasii publicus eloquentiæ professor, necnon Josephi Renati Imperialis excelsæ virtutis ac ingentis animi Cardinalis refertissimæ bibliothecæ præfectus in eorum

Vindiciis libro primo capite altero, quas nuper eruditorum omnium plausu in vulgus eduxit.

II. Monuisse tamen virum doctissimum Johannem Mabillonium scribit Germonius in prælaudatæ disceptationis exordio, homini rem diplomaticam tractanti duo in primis esse cavenda: primum *ne sit nimium credulus, ut sinat falsa sibi obtrudi pro veris*; alterum *ne sit ultra modum suspicax, ut incidat in temerariam præcipitemque censuram*. Utrunque hunc scopulum, quantum in me fuit, cum Mabillonio declinandum curavi. Olim fuisse plurima veterum diplomata temeraria fraude corrupta atque interpolata, aliaque impudenti ausu conficta, eorumque falsatores quinto, sexto, octavo, & undecimo sæculis præsertim invaluisse nemo ignorat eruditorum. Hujus generis esse fert Mabillonius in capite sexto libri tertii de re diplomatica chartam canonicorum Halesacensium apud Coccium in suo Dagoberto pag. 158., aliam canonicorum sancti Aredii in Miscellaneis Labbeanis pag. 453., sancti Hilarii Pictavensis pag. 394. pro Vienna & Arelate in historia Provinciæ per Honoratum Bouche tomo primo pag. 734., aliasque itidem aliarum ecclesiarum in variis Italiæ sacræ tomis apud Ughellum, quale est diploma supposititium Theodosii junioris in tomo secundo col. 9. Ut spurium item Baronius ad annum quadringentesimum tricesimumsecundum exhibitat

Va-

Valentiniani Imperatoris privilegium, quo Johanni Ravennatensi archiepiscopo jura archiepiscopalia & perpetuum pallii usum concedit. Necnon ad annum quingentesimum quadragesimumprimum meminit adulterini alterius diplomatis Justiniani Imperatoris nomine conficti, quo salva vult esse Casinensi monasterio quæ Tertullus sancti Placidi parens, quæve Justinus senior eidem cœnobio contulisset, nempe villas, jura, castra, oppida, civitates, & municipia ibidem recensita. Ficticias insuper explodit literas ejusdem Justiniani ad Placidum nepotem inscriptas, adpositis perperam consulibus, anno scilicet duodecimo ejus Imperii (nempe Christi quingentesimo tricesimooctavo) sub consulatu Boetii & Cethegi, quorum nulla est mentio simul consulatum gessisse; unde satis constat quam facile olim veteres falsa diplomata supposuerint, nedum sincera vitiaverint. Hinc (quod magis dolendum) contigit, ut quum autographis diplomatibus ac legitimis vel prorsus spuria, vel depravata intermixta fuerint, ea cum reliquis ad posteros usque pervenerint, simulque aliquando verorum fidem adepta sint.

III. Quibus autem ex caussis vel ementita, vel adulterata fuerint plerunque diplomata perdocte expendit Mabillonius in sæpe laudato opere libro primo capite septimo. Inter quas illam fuisse scribit, quod blandienti falsitati & injustitiæ robur & sub-

ſubſidium accerſeretur. Quum enim antiquitus amiſſis bonorum titulis viderent homines facultates ſuas periclitari, ideo ad confingenda juſtæ poſſeſſionis inſtrumenta animum intenderunt, ut aliorum hominum bonis alienis inhiantium fraudem hac arte repellerent; nec fortaſſe (quæ illorum temporum ſimplicitas erat) id crimini ducebatur. Eorum etiam interpolationi vel corruptioni cauſſam dedit præ aliis iciolorum exſcriptorum audacia, qui exemplarium verba quædam non capientes, atque alia ſubjicientes, gloſſemata falſa illis adjecerunt, unde plurima ignoranter vitiarunt. Ut vero quæ obtruduntur Imperatorum diplomata a Berardo cum aliis ſcriptis reperta atque in chronico collecta vitiis laborare videantur, eadem in medium producere lubet, & primum antiquiora Imperatoris Ludovici II. Piſcarienſis ejuſdem cœnobii conditoris in examen vocare.

IV. Sex inter plura, quæ in chartario toto Caſaurienſi continentur Ludovici privilegia, vulgavit in libro primo chronici Acherius, quorum tria tantum poſtrema corporis ſancti Clementis Papæ depoſitionem in Piſcarienſi baſilica enunciant. De illis hæc Berardus præfatur: „ Remeans „ itaque dominus Ludovicus Imperator ad ſolum „ proprium, adiit curtem Imperialem, quæ dicitur Olonna * ibique morans infra ſexaginta dies „ edidit ad tuitionem monaſterii Piſcarienſis tria

* Palatium olim Imperatorum [illegible]

prin-

„ principalia sacræ institutionis privilegia devo-
tione plena, & omni auctoritate perpetuæ liber-
„ tatis & regiæ protectionis adstipulata. In quo-
„ rum uno specialiter notatur de fundatione &
„ consummatione ipsius sacrosancti templi, DE
„ CORPORE NANQUE BEATI CLEMENTIS AB EODEM
„ IBIDEM VENERABILITER RECONDITO, de largitio-
„ ne rerum, quas per totam Tusciam acquisivit,
„ & ipsi sancto Martyri perpetualiter porrexit:
quæ Berardi præfatio bonam ejus fidem satis reclu-
dit, qua Piscariensis sui tabularii defectum, & di-
plomatum vitia non agnovit.

V. Primi ergo Ludovici diplomatis, quo
res Tusciæ aliarumque provinciarum confirmat,
exordium est: *Cunctis sanum*; ubi hæc de sacro
corpore notam exquirunt: „ Ad honorem & reve-
„ rentiam tremendæ ac individuæ Trinitatis sacro-
„ sanctum templum in insula, quæ *Casaurea*
„ vocitatur fundari & consummari hilari mente
„ præcepimus: UBI ET ALMIFICUM BEATISSIMI PON-
„ TIFICIS ET MARTYRIS CLEMENTIS CORPUS VENE-
„ RABILITER RECONDI FECIMUS, atque in eodem
„ situ famulorum Dei cœnobium perpetuis tem-
„ poribus permanendum augustaliter atque libe-
„ raliter instituimus &c. Data kalendis Septembris
„ indictione octava. Actum Olonna in curte Im-
„ periali anno Imperii Ludovici Imperatoris vice-
„ simoquinto. Deo propitio feliciter.

In

„ V. In altero quoque privilegio (subdit Be-
„ rardus) repetit de monasterii constructione &
„ beati Clementis almifici corporis translatione.
„ Deinde pernotantur ibi omnes Italiæ provinciæ,
„ in quibus possessiones & omnes res ab eo sunt ac-
„ quisitæ, & monasterio Piscariensi collatæ. Hinc
sequitur privilegium, quod prostat integrum apud
Ughellum in tomo sexto Italiæ sacræ prope finem,
cujus initium itidem est: *Cunctis fanum*; ubi hæc
ipsa de sacro corpore repetuntur: „ Nos divino
„ afflati instinctu ad honorem & reverentiam
„ tremendæ ac individuæ Trinitatis sacrosanctum
„ templum in insula, quæ *Casaurea* vocatur fun-
„ dari & confirmari hilari mente præcepimus:
„ ET ALMIFICUM BEATISSIMI PONTIFICIS ET MARTY-
„ RIS CLEMENTIS CORPUS VENERABILITER RECONDI
„ FECIMUS: quod quidem sacrosanctum templum
„ *sancti Clementis in Piscaria in antea vocitari*
„ *præcepimus &c.*: quæ scilicet postrema verba,
sicut supra disserui, apertæ falsitatis notantur.
Deinde subjicit quemadmodum preces pro eo per-
solvendæ sint: „ Ita tamen ut tres quotidie pro
„ nobis missas, & omnibus diurnis ac nocturnis
„ officiis centesimum vicesimum decantare non
„ desinant psalmum, exceptis duntaxat vesperti-
„ nalibus ac matutinalibus hymnis, quos perpe-
„ tim pro nostræ remedio animæ repetere jugiter
„ non cessabunt; cujus nimirum diplomatis me-
minit

minit Leo Ostiensis in chronico: „ Data tertio idus
„ Octobris indictione octava. Actum Olonnæ
„ curte Imperiali anno Imperii Ludovici sanctis-
„ simi Imperatoris vicesimoquinto, Deo propitio
„ feliciter.

„ VI. In ultimo sane privilegio (inquit idem
chronographus) tangit de se quod in Beneventano
„ itinere posito devenit in Piscariam, & Casau-
„ riensem invenit insulam, IN QUA CLEMENTIS
„ COLLOCAVIT GLEBAM, atque monachorum ibi-
„ dem coadunavit turmam. Deinde repetit de
„ largitione omnium rerum, quas in totius Italiæ
„ provinciis ad ipsius monasterii supplementum
„ & monachorum perenne subsidium acquisiverat.
Privilegium autem ita exorditur: *Universorum*
„ *sanctæ Dei*; ubi hæc quoque leguntur: „ Qua
„ de re Dei omnipotentis inspiratione tacti jus-
„ simus inibi ædificari basilicam in honorem san-
„ ctæ & individuæ Trinitatis, UBI ETIAM COLLO-
„ CARE FECIMUS CORPUS BEATI CLEMENTIS MAR-
„ TYRIS ET PONTIFICIS CHRISTI, ubi etiam ad
„ cumulum mercedis nostræ coadunavimus cœ-
„ tum monachorum inibi supernæ majestati fa-
„ mulantium &c. Data kalendis Novembris in-
„ dictione octava. Actum Olonna curte Impe-
„ riali anno Imperii Ludovici vicesimoquinto,
„ Deo propitio feliciter. Facta sunt equidem
(prosequitur Betardus) hæc tria supra taxata pri-

„ vilegia Dominicæ incarnationis anno octingen-
„ tesimo septuagesimoquinto, indictione octava.
Sed ut præmissa hæc Ludovici Imperatoris diplomata in autographo Piscariensi chartario collecta, tanquam depravata rejiciam, plurima quæ sequuntur, sese offerunt argumenta.

VII. Primo tabularii mala fides, quod, quisquis fuerit corruptor, fabularum & falsitatum adspersione labefactavit. Corruente idcirco totius translationis facto, quod inter commenta reposui, immerito dici potest Ludovicum Imperatorem in suis diplomatibus sacri corporis existentiam in Piscariensi basilica asseruisse. Quapropter vehemens conjectura invalescit, licet forte ex autographis producta sint, illa plane vitiata, in iisque *corporis sancti Clementis Papæ & Martyris existentiam* interscriptam fuisse.

VIII. Secundo sese offert Leonis Ostiensis silentium, qui in sæpe citato chronico Casinensi, ubi Piscariensis cœnobii meminit, indicat se vidisse hæc Imperatoris Ludovici privilegia *de libertate monasterii*, illudque præsertim, in quo pro anima sua jubet orari: „ Quo facto (inquit) pluribus eun-
„ dem ecclesiam (*scilicet Piscariensem*) variisque
„ beneficiis per diversa loca, *quemadmodum ipsius*
„ *munimina continent*, Imperiali largitate dona-
„ vit, *suique memoriam ibi semper habendam*
„ *satis devotus indixit*. Si ergo Leonem Ostien-
sem,

fem, qui paullo ante Berardum claruit, Imperatoris Ludovici diplomata vidisse credi potest, perquam credibile etiam est nihil prorsus in illis de sancto Clemente Pontifice, ejusve corpore scriptum legisse, eo magis quia Leo ipse deinde prosequitur: „ Postmodum ab ejusdem abbatibus ecclesia ipsa „ ampliata & sancti Clementis vocabulo est, sicut „ placuit, appellata. Quoties enim Ludovici Imperatoris privilegia Leonis Ostiensis ætate continuissent, Ludovicum sancti Clementis Papæ & Martyris corpus in basilica Piscariensi recondidisse ac collocasse, Leo quidem in medium id protulisset, nec dixisset, ut sæpe repetitum fuit, *ecclesiam Piscariensem postmodum ampliatam sancti Clementis vocabulo, sicut placuit, appellatam fuisse*. Quamobrem ineluctabile oritur argumentum præfata Imperatoris rescripta, interjecta sacri corporis existentia, audacter nimis fuisse labefactata.

IX. Tertio sese offerunt alia tempore anteriora vel ipsius Ludovici, vel ejus nomine pro Piscariensi monasterio diplomata anno octingentesimo septuagesimoquarto, & ante signata, ubi corpus sancti Clementis, ejusque translatio neutiquam memoratur. Hæc, inter plura quæ vulgavit principum, regum, & Imperatorum rescripta in suo opere de re diplomatica Mabillonius vir semper honorifice nominandus, ex eodem Casauriensi chartario produxit.

Primum est placitum in gratiam Ludovici II. Imperatoris contra quendam Ildebertum, datum anno ejus Imperii decimo, mense Martio, indictione octava, anno scilicet, ut in margine notatur, octingentesimo sexagesimo.

Alterum est commutatio inter Ludovicum & Sisenandum de quibusdam rebus Casauriensibus, datum anno Imperii ejus vicesimosecundo, mense Novembri, indictione quinta, hoc est anno septuagesimo ultra octingentesimum.

Tertium est placitum de rebus cujusdam Candoli in gratiam monasterii Casauriensis, ubi hæc de illo scripta sunt: „ Dum a præclara pote-„ state domni Ludovici Imperatoris nos Heribal-„ dus comes sacri palatii in insula de Piscaria, lo-„ co, qui dicitur Casaurea, ubi monasterium san-„ ctæ Trinitatis ædificatum est &c. Actum in „ Casaurea anno Imperii Ludovici vicesimoquar-„ to, die tertia & quarta mensis Septembris per „ indictionem septimam feliciter, videlicet anno octingentesimo septuagesimoquarto.

Quartum est placitum, quo bona Gundi feminæ fisco adjudicantur ob matrimonium initum post susceptum velum, quod incipit: „ Dum dom-„ nus Ludovicus gloriosus Imperator de partibus „ Beneventi reverteretur, & venisset ad monaste-„ rium sanctæ Trinitatis, quod est constructum in „ insula, quæ dicitur Casaurea, quod ipse Augu-

stus

„ ftus a fundamentis ædificare difpofuit in finibus „ Pinnenfibus &c. Actum anno Ludovici Imperatoris vicefimoquarto, menfe Decembris per „ indictionem feptimam, eodem fcilicet anno octingentefimo feptuagefimoquarto. Hæc apud Mabillonium.

X. In chronico etiam Acherius nonnulla alia Ludovici publica fecit diplomata itidem præfatis tempore priora.

Primum eft privilegium de cambio infulæ, & conftructione feu libertate cœnobii Cafaurienfis: „ Datum feptimo kalendas Junias, indictione fexta (nempe anno ipfo feptuagefimoquarto ultra octingentefimum). „ Actum in civitate Capua, anno „ domini Ludovici Imperatoris vicefimoquarto.

Alterum eft privilegium de ecclefia fancti Mauri de Amiterno, quam Imperator adjungit Pifcarienfi cœnobio, ibique legitur: „ Monafterium fanctæ & individuæ Trinitatis, quod olim „ infpirante Deo conftruximus &c. Data pridie „ kalendas Junias, indictione fexta (ideft eodem anno octingentefimo feptuagefimoquarto). Actum „ in civitate Capua anno Imperii Ludovici vicefimoquarto.

Tertium eft inveftitura follemnis atque legalis Pifcarienfi monafterio ab Heribaldo facri palatii comite Imperatoris abfentis nomine habita de rebus ac poffeffionibus, quas Imperator per diverfas Italiæ

Italiæ provincias acquisierat, ubi hæc prostant:
„ Monasterium sanctæ Trinitatis, quod ædificatum
„ est infra insulam de Piscaria, loco ubi dicitur
„ Casaurea. Actum in Pinne ad sanctum Deside-
„ rium in anno Imperii domni Ludovici vicesimo-
„ quarto, die quinta mensis Decembris, per indi-
„ ctionem septimam feliciter, eodem anno incar-
nationis adhuc vertente.

Quartum est privilegium de sancto Desiderio, & aliis rebus cœnobio Casauriensi tributis, ubi monasterii sanctæ Trinitatis tantum est mentio:
„ Data tertio kalendas Majas, indictione septima
(nimirum anno septuagesimoquinto supra octingentesimum). Actum foris civitate Ravenna ad
„ sanctum Apollinarem, anno Imperii vicesimo-
„ quinto.

XI. Hæc sunt Ludovici Imperatoris diplomata de Piscariensi cœnobio primo recensitis tempore priora, & quidem sincera, quæ nusquam sancti Clementis Papæ ejusque corporis meminerunt. Quamobrem si in hisce diplomatibus supposititiæ translationis ævo propioribus (quæ indictione quinta confingitur) Ludovicus, vel qui ejus nomine illa dedit, de sancto Clemente ejusque corpore siluit, utique credibile est nec in aliis posterioribus meminisse: a recta quippe ratione dissentit, quod in his prioribus indictione sexta & septima datis nil prorsus de illo indicaverit Imperator, & in tribus

bus duntaxat postremis sub indictione octava verbis adeo gravibus meminerit; unde in illis interscriptionis vitium vehementer probatur. Præterea nullam veri præfert imaginem in diplomatibus apud Casauream insulam, ubi monasterium erectum est, & apud Capuam actis, necnon in altero apud Pinnem, ubi rerum omnium Piscariensi cœnobio acquisitarum sollemnis investitura continetur, nunquam itidem de sancto Clemente, vel ejus corpore ibi collocato memoriam haberi, verumtantum in aliis apud Olonnam actis: hæc sane & ratione loci, ubi acta sunt, & ratione rerum, quas continent, si sancti Clementis Papæ & Martyris corpus eo delatum fuisset, par erat, ut præcipuam de illo mentionem fecissent. Quibus etiam confirmatur, ut superius animadverti, nunquam monasterium Piscariense sanctæ Trinitatis primo dictum, Ludovici ætate sancti Clementis vocabulo appellatum fuisse. Quo circa horum diplomatum corruptor suamet ignorantia damnatur, quæ ex eo magis detegitur, quod, ipso duce, scripsit Berardus de postremo; videlicet in illo Ludovicum *tangere de se, quod in Beneventano itinere posito devenit in Piscariam, & Casauriensem inventi insulam, ubi sanctæ Trinitatis construxit basilicam*, IN QUA CLEMENTIS COLLOCAVIT GLEBAM, *atque monachorum ibidem coadunavit turmam*: nanque, ut opus erat, translationem ejusque modum subjicere

cere omisit, scilicet ab Hadriano II. Pontifice sacrum corpus adeptum fuisse, & illuc Romam asportatum: nec ulla in diplomatibus, atque in toto chronico ab Acherio vulgato Hadriani Pontificis, & habitæ sub illo translationis occurrit memoria.

XII. Hinc præmissa nedum pro ejusmodi diplomatum corruptione satis argumenta suppedi-tant, (quod unum probandum statui) verum etiam pro tota eorum suppositione. Id confirmari quoque videtur a mendosa illorum subscriptione, nimirum ab errore annorum Imperii Ludovici, & ab indictione, quam præferunt. Acta enim inscribuntur tria illa diplomata *anno Imperii vicesimoquinto, mensibus Septembris, Octobris, & Novembris, indictione octava*, quam explicat Berardus pro anno Dominicæ incarnationis octingentesimo septuagesimoquinto. Quæ duo insignis notæ menda ut palam fiant præmittendum est communi auctorum etiam æqualium consensu Ludovicum Imperatorem mense Augusto anni octingentesimi septuagesimiquinti mortem oppetiisse. Id tradunt Annales Fuldenses apud Duchesnium in tomo altero rerum Francicarum his verbis: „ Interea hoc anno (scilicet octingentesimo septuagesimoquinto) mense Augusto, Ludovicus Italiæ „ Imperator obiit, cujus corpus translatum Mediolani in basilica sancti Ambrosii sepultum est. Quod

Quod etiam Dionysius Petavius in Rationario temporum libro octavo diserte notavit, ubi idibus Augusti eum defunctum testatur. Quin immo nonnulli antiquorum alii Imperatorem Ludovicum praecedenti anno octingentesimo septuagesimoquarto e vita egressum fuisse scripserunt, nimirum abbas Regino in libro secundo sui chronici, & Annalium Metensium auctor in tomo tertio apud Duchesnium. At licet Berardus in chronici libro primo eundem Ludovicum anno octingentesimo septuagesimosexto adhuc in vivis agentem significet, quod alii etiam per peram tradiderunt: „ Praeterea (inquiens) Dominicae incarnationis anno octingentesimo septuagesimosexto venit Mauricius Castaldio, jubente domno Ludovico Imperatore, & mense Januario secunda die mensis investivit sollemniter: & deinde hoc ipso anno jam illum mortalitatem explevisse doleat; tamen in historia fundationis monasterii eodem mense Augusto ejusque idibus, ut compertum habuit Petavius, praelapsi anni octingentesimi septuagesimiquinti his verbis e vita sublatum deplorat: „ Divae memoriae Imperator Ludovicus diem claudens extremum defunctus est decimatertia die mensis Augusti. Quod autem mensis hic Augustus fuerit anni octingentesimi septuagesimiquinti, quo Berardus in hac historia Imperatoris obitum scripserit, ex proxime antedictis eruitur: „ Mortis hujus indicio, sicut in quibusdam chro-

„ chronicis reperitur, stella sicut facula ardere, „ visa est post septentrionem septima die mensis „ Junii: hanc enim stellam ipso anno octingentesimo septuagesimoquinto apparuisse plerique notant scriptores, quos inter Annalium Fuldensium auctor ad hunc annum id memoriæ testatum reliquit: „ Stella cometes octavo idus Junii in aqui„ lonari parte prima hora noctis apparuit plus „ solito scintillans comasque spargens, rem stu„ pendam immo lugendam, quæ cito sequuta est, „ sua apparitione demonstrans. Deinde paucis interjectis, Imperatoris Ludovici obitum ponit eodem anno sequenti Augusto. Si ergo Berardus in historia fundationis monasterii, aliique antiquorum tradiderunt Ludovicum anno octingentesimo septuagesimoquinto mense Augusto supremum diem obiisse, quomodo in chronico postrema ejus diplomata indictione octava, eodem scilicet anno, mensibus Septembri, Octobri, & Novembri apud Olonnam data fuisse scribere poterat, illumque sequenti anno adhuc in humanis egisse? Satis etiam Ludovici obitus hoc ipso anno probatur Caroli Calvi ejusdem in Imperio successoris diplomate inter autographa a Johanne Mabillonio in libro sexto de re diplomatica ex chartario sancti Theofredi typis vulgato, cujus initium: *Si locis divino cultui mancipatis*, quodque kalendis Augusti datum est, indictione de-

decima, anno scilicet incarnationis octingentesimo septuagesimoseptimo, regni ejus tricesimooctavo, & Imperii secundo. Kalendis autem Septembris indictione octava, juxta suspecta diplomata, adhuc in humanis erat Ludovicus; sed quum idibus Augusti ex consensu scriptorum omnium decesserit, idque suspectis eisdem diplomatibus hærendo nonnisi sequenti indictione nona, anno videlicet octingentesimo septuagesimosexto evenisse dicendum sit, ac post illas Carolum Imperium cœpisse; hinc est anno duntaxat sequenti octingentesimo septuagesimoseptimo post idus Augusti annum ejus Imperii secundum labente indictione decima exordiri. Verum ex præfato ipsius privilegio kalendis Augusti indictione decima dato ejus Imperii annus secundus notatur, ita quod post idus Augusti decimæ ejusdem indictionis tertius incipiat: ideoque luculenter constat Ludovicum Imperatorem ante annum octingentesimum septuagesimumsextum vita exemtum fuisse, nempe idibus Augusti, ut scriptum est, anni octingentesimi septuagesimiquinti, in quem etiam cadit Caroli Sigonii supputatio in libro quinto de regno Italiæ.

XIII. Huic in diplomatibus Ludovici primo indictionis errori alii quoque accedunt graviores, quibus illa ut satis suspecta exsufflantur. Enimvero prænotandum est falsatorem anonymum in eorum suppositione (siqua fuit) ab aliorum

exemplo Cæsaream sive Constantinianam indictionem servasse, qua semper Occidentis & Germaniæ Imperatores uti consuevere, cujus apud illos consuetudinem notavit Henricus Spondanus in epitome Annalium ecclesiasticorum in appendice ad annum trecentesimum duodecimum, necnon Mabillonius de re diplomatica libro altero capite vicesimoquarto. Hæc, nempe Cæsarea ab octavo kalendas Octobris principium ducit, Constantinopolitana vero sive Græca a kalendis Septembris, Romana demum sive Pontificia omnium posterior a Januario sequenti exorditur. At imperitus falsator Cæsareas horum Ludovici diplomatum indictiones mentiri satis dolose nescivit. Quum enim indictio octava Cæsarea, sub qua tria illa diplomata data sunt, pro anno octingentesimo septuagesimoquinto ab eodem Berardo explicetur, quæ ad diem vicesimamquartam usque Septembris pertingere debuit, propterea emergit primi tantum diplomatis recte consignata indictio, quod kalendis Septembris datum fertur: necnon e converso sequitur postrema diplomata mensibus Octobri & Novembri signari non posse sub eadem indictione octava Cæsarea, quæ jam lapsa erat, jamque nona initium duxerat a die vicesimaquarta Septembris. Præterea octavæ huic indictioni in diplomatibus Ludovici præfatis mensibus observatæ, quæ, ut præmisimus, anno octingentesimo septuagesimoquinto respondet, Romana

etiam

etiam indictio consentit, illamque Cardinalis Baronius in suis Annalibus ad hunc annum, ceterique plures sequuntur; quæ tamen a Januario ad integrum usque Decembrem pertingit: ideoque quum hæc Romana potius dicenda sit quam Cæsarea, inde oritur alterum vitii argumentum. Verum si aliorum, quæ produximus, diplomatum indictiones observandæ sint earumque ordo, novi erroris falsator insimulatur. Quum enim mensis Novembris indictio quinta pro anno octingentesimo septuagesimosecundo, mensis Junii indictio sexta pro septuagesimoquarto, & mensis Decembris septima pro eodem anno in illis adnotetur, hinc ex adverso sequitur primum diploma kalendis Septembris anni octingentesimi septuagesimiquinti sub indictione octava Cæsarea subscribi non potuisse, sed tantum sub septima, quæ non adhuc effluxerat, reliqua vero duo mensibus Octobri & Novembri sub indictione octava probe signari. Ex hac ergo multiplici mendosæ indictionis ambage tria illa Ludovici Imperatoris diplomata si non prorsus inter spuria, saltem inter corrupta merito rejici posse videntur.

XIV. Aliud demum superest vitium *, quo sine gravioris obscuritatis periculo offenditur. Inscribuntur præfata privilegia anno Imperii Ludovici vicesimoquinto: & tamen juxta communem scriptorum omnium supputationem annus ab incarnatione octingentesimus septuagesimusquintus nun-

* Quod vitium anni [illegible] quomodo excusari possit in aliis præsertim diplomatibus aliorum antecessis.

nunquam esse potuit Imperii Ludovici vicesimus-quintus. Vel enim Imperii ejus exordium refertur (ut alibi traditum est) ad annum octingentesimum quadragesimumquartum, quo a Sergio II. Pontifice, aut ad quadragesimumoctavum, quo, ut nonnulli putarunt, a Leone IV. Imperiali diademate ornatus fuit, & nunquam annus octingentesimus septuagesimusquintus ad vicesimumquintum Imperii trahitur: vel Imperii exordium referendum est ad annum, quo Lotharius pater Imperio cessit, & monasticam institutionem amplexus est, eodemque e vita migravit, & is fuit annus octingentesimus quinquagesimusquintus; ita quod ad annum usque octingentesimum septuagesimumquintum nonnisi undeviginti anni effluxerint. Id etiam Dionysius Petavius in Rationarii temporum libro octavo animadvertit: „ Ludovicus Imperator „ (ait) anno octingentesimo quinquagesimoquin- „ to iniit, & annis imperavit novendecim usque „ ad octingentesimum septuagesimumquintum. Quamobrem satis exploratum est, annum octingentesimum septuagesimumquintum, quo signata sunt diplomata, ad annum Imperii Ludovici vicesimumquintum trahi unquam non posse. Si igitur tot latis mendis laborant præfata Ludovici Imperatoris rescripta, non video cur non inter suspecta, immo & adulterina censenda sint?

CAPUT XIII.

Alia Imperatorum diplomata, & unum Leonis IX. Pontificis in medium itidem producuntur, quorum aliqua, ut corrupta exsufflantur, aliqua in oppositum non urgent.

I. IAM satis audaci viro non erat, quisquis fuerit, unius Imperatoris diplomata fabulosa interpositione depravasse, vel omnino confinxisse, nisi etiam alia proximorum Imperatorum invaderet, quibus figmentum insignius faceret, pluresque subdititios assertores sibi vendicaret. Horum primum est Berengarii Forolivii in Æmilia nostra (quicquid sit de aliorum opinione) civis, de quo Berardus ita proloquitur : „ Hac tempestate (scilicet anno nongentesimo decimoseptimo) nutu Dei quidam „ Imperator augustus, nomine Berengarius, accessit ad has regiones, quem adierunt fratres, „ & depositis coram eo suis miseriis & ruina monasterii, & gloria, in qua fuerant tempo-

ribus

„ ribus Ludovici, acceperunt præceptum &c. cujus initium est: *Si sanctarum*; ibique de corpore sancti Clementis Papæ hæc proferuntur: „ Sanctæ „ Trinitatis monasterium, in quo almificum „ beatissimi Præsulis atque Martyris Clementis corpus dignoscitur esse reconditum, „ ubi Casaurea nuncupatur &c. Deinde pluribus interjectis: „ Nominatum monasterium, ibique „ Deo deservientes monachos, atque beatissimi „ Clementis humatum corpus custodientes &c. „ Data duodecimo kalendas Novembris anno „ Dominicæ incarnationis nongentesimo decimoseptimo, domni Berengarii pissimi regis „ undetricesimo, Imperii autem sui secundo, „ indictione quinta. Actum in Piscaria in Christi nomine feliciter. Amen. Idipsum quod superius abunde præmisi, ad hoc etiam Berengarii rescriptum exsufflandum consonum est, quod sane si non confictum, plurium saltem verborum interjectione inepte est vitiatum. Ad hoc enim detegendum error quoque indictionis ejus Cæsareæ, & annorum Imperii admodum adstipulatur. Quum enim anno nongentesimo decimoquinto mense Septembri infra diem vicesimamquartam indictione tertia Romana in Imperatorem a Johanne X. Pontifice Ravennæ urbis Æmiliæ nostræ principis itidem cive eundem Berengarium inunctum fuisse memoriæ traditum reliquerint auctores,

&

& sincerum quoddam ejus diploma, quod attingit Sigonius in libro sexto de regno Italiæ ad annum nongentesimum decimumoctavum datum sit hoc anno incarnationis septimo kalendas Januarii indictione septima, Imperii quarto, hinc sequitur anno nongentesimo decimoseptimo mense Novembri, quo suspectum diploma datum est, jam tertium Imperii incepisse, & sextam indictionem Cæsaream, utpote Romana anteriorem a die vicesimaquarta elapsi Septembris exordium duxisse.

II. Profert deinde Berardus inter cetera, quæ nusquam sancti Clementis monasterii, sed tantum sanctæ Trinitatis meminerunt aliud Ottonis Imperatoris diploma, quod incipit: *Ad hoc nos divina potentia*, ubi legitur: „ Monasterium „ dedicatum in honorem sanctæ Trinitatis in lo- „ co, ubi dicitur insula Piscariæ, & vocatur Ca- „ saurea, UBI CORPUS BEATI CLEMENTIS RECON- „ DITUM EST &c. Data kalendas Majas anno Do- „ minicæ incarnationis nongentesimo sexagesi- „ monono, Imperii vero domni Ottonis Augusti „ octavo. Actum in Apulia in suburbio Bivino: & sine indictione. Cujus sane defectus non leve est suspicionis indicium, quandoquidem Justinianus Imperator, ut refert Cardinalis Baronius ad annum quingentesimum tricesimumseptimum, decrevit validum non esse instrumentum, cui non

T una

una cum anno Imperatoris & Consulibus adponeretur etiam indictio. Verum cum hocce Ottonis privilegium *corpus beati Clementis* tantum commemoret, nequaquam in oppositum urget, quin potius ad nostræ opinionis subsidium velut legitimum in superioribus existimavi.

III. Necnon his adjiciuntur duo alia unum Chuonradi, & alterum Henrici II. Imperatorum diplomata, ubi eadem de corpore sancti Clementis Papæ adnotantur. Quo ad primum, quod etiam exstat apud Acta Sanctorum ordinis sancti Benedicti a Mabillonio collecta parte prima sæculo sexto in vita sancti Widonis abbatis Piscariensis, ejus exordium est: *Cum petitionibus*; & de sacro corpore hæc habet: „ Abbas monasterii sanctæ Trinitatis, ubi corpus beatissimi Pontificis et martyris Christi Clementis reconditum est „ in comitatu Pinnensi in insula, quæ Casaurea „ vocatur &c. Sed quia integrum non profertur, ac propterea desideratur etiam subscriptio, observare menda non potui. Quo ad aliud Henrici, quod incipit: *Si servorum Dei*, hæc continet: „ Ob petitionem venerabilis abbatis Dominici dicti monasterii sanctæ Trinitatis, et beati Clementis martyris inibi quiescentis &c. Data kalendis „ Januarii anno Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimoseptimo indictione decimaquinta, anno domni Henrici III. ordinationis

ejus

„ ejus decimooctavo, regnantis octavo II. Imperii
„ primo. Actum ad sanctum Flavianum in Dei
„ nomine feliciter. Amen. Verum hoc Henrici diploma, quod quidem sincerum arbitratus sum, nedum aliorum corruptori non suffragatur, sed præmissas potius conjecturas, quemadmodum illud Ottonis, nonnihil confirmat, scilicet Piscariense monasterium sanctæ Trinitatis ob alterius sancti Clementis corpus illuc delatum *sancti Clementis* nomen obtinuisse.

III. Hæc demum sunt antiquiora Imperatorum diplomata, quæ Berardus producit in chronico ad vendicandum Piscariensi cœnobio sancti Clementis Papæ venerabile corpus, quorum plura quum mendis & erroribus exundare observata sint, merito inter vitiata, sinon prorsus inter adulterina damnantur: *Falsi enim convincetur charta* (inquit Germonius in præcitatæ disceptationis parte prima capite tertio) *quoties in illa mendum animadvertitur, quod homini, cujus charta nomen habet, tribui nullo pacto potest.* Deinde sequitur: *At quum nihil tale apparet, non idcirco consequens est chartam esse veram ac legitimam. Quid enim si alia insint, & nobis lateant? quid si charta concinnata fuerit ab impostoribus, qui, ut facile fuit, vel fortunæ beneficio, vel prudentia sua caverunt, ne vel recepto temporum ordini, vel antiquioribus monumentis*

ulla in re contradicerent? an charta legitima censenda erit, quia ab iis confiẞa, qui astutiores fuerunt, vel feliciores? Absit.

IV. Sed mirum esse non debet Acherium in elaboratissimo suo Spicilegio tot privilegia, variisque veterum chartis congesto aliquas etiam ostendere potuisse, quæ inter mendosas, aut spurias sint rejiciendæ: *Quemadmodum enim* (scribit in exordio suæ disceptationis idem Germonius) *in reliquis artibus evenit, ut de una eademque re alii aliter sentiant, ita & in arte diplomatica fieri facile potest, ut quæ instrumenta alteri genuina & indubitata videntur, eadem alter adulterina vel incerta judicet*; præsertim quum a priscis illis temporibus vera etiam ex autographis plura falsis & suspectis intermixta ad nos usque pervenisse omnes existiment. Quapropter Lucas Acherius aliquando etiam falli potuit in hac veterum diplomatum aliarumque chartarum collectione, sicut scriptorum aliqui etiam insignium in hoc & in alio rerum exemplo itidem alucinati sunt; nec idcirco quia Piscariensis chronici plures chartas respuendas arbitror, injuriæ alicujus notam viro alioquin illustri inurere unquam præsumsi. Nedum vero in hoc sui Spicilegii tomo quinto fictitia vel corrupta diplomata prodidit Acherius, sed etiam forte in aliis, & præcipue, ut nonnulli contendunt, in tomo primo, ubi tanquam spurium illud

illud explodunt, quod in chronico Besuensi insertum est sub nomine Chlotarii III. Attamen utcunque fuerit plane persuasum habeo plura, quæ in chartario Casauriensi exscripta sunt, privilegia inter illegitima aut vitiata dubio procul posse ablegari. Id probant argumenta, quibus chronici fabulas aperui, id suadet ipsum Casauriense tabularium, fabellarum pariter officina, quod turpiter fœdatum est, idque satis compertum facient proxime disputanda.

V. Restat hic ut postremo Henrici II. privilegio adnectatur tempore propius illud Leonis IX. Pontificis, quod etiam in inscriptione corruptum est, de quo chronographus in libro altero hæc præfatur: „ In eo tempore (scilicet anno millesimo quadragesimonono) quo Normanni devastaverunt Apuliam, Papa Leo IX. cum Romano exercitu contra eos exivit ad pugnam &c. Tunc ad eum perrexit abbas Dominicus, & impetravit privilegium contra episcopos, archiepiscopos, comites, barones, & contra omnes, qui in monasterio sancti Clementis aliquid juris, dominationis, potestatis in ecclesiis ad eundem locum pertinentibus vellent habere. Iste fuit primus abbas Piscariensis cœnobii, qui impetravit privilegium a Romano Pontifice, quod antecessores sui vel habere non potuerunt, vel duxerunt pro minimo.

Pri-

Privilegium autem ab Acherio omissum est, quod Ughellus ex codice Petri Columnæ, unde & historiam fundationis monasterii excerpsit, in fine tomi sexti Italiæ sacræ antea vulgaverat. Ejus inscriptio hæc fertur: „ Dominico venerabili abbati ecclesiæ „ sanctæ & individuæ Trinitatis, quæ est in insula „ Piscaria, quæ etiam Casaurea vocatur, ubi corpus beati Clementis Papæ et martyris requiescit, tuisque successoribus in perpetuum. Mox incipit: „ Convenit Apostolatui nostro digne pe- „ tentibus benevola compassione succurrere, & „ poscentium animis alacri devotione impertiri „ suffragium; ex hoc enim lucri potissimum præ- „ mium a conditore omnium Deo procul dubio „ promerebimur, dum piis petitionibus annuentes, „ ea, quæ distorta vel injuste sublata sunt, nostro „ pio fuerint sine dubio moderamine restituta, „ atque directa. Quapropter tibi, frater charis- „ sime, quem magis bona ecclesiæ tuæ in quantum „ possibilitas tua obtinet &c. Deinde in notis chronologicis: „ Datum decimo kalendas Julii „ per manum Federici diaconi & bibliothecarii ac „ cancellarii sanctæ apostolicæ Sedis, vice domni „ Heremanni Coloniensis archiepiscopi & archi- „ cancellarii, anno domni Leonis IX. Papæ ter- „ tio, indictione quarta. Quid autem hujus diplomatis inscriptione ineptius? quid insulsius? nihil sane esse posse arbitror, quod ejus nimiam affe-

affectationem ac corruptionem vehementius confirmet; inaudita quippe hæc est, inusitata ac prorsus nova Pontificus diplomatibus inscriptio. Novum vero non est apud veteres ejusmodi fabularum peritos Leonis IX. diplomata adulterare aut confingere: hoc nanque palam facit ejusdem Pontificis privilegium pro sancti Mauricii ecclesia Agaunensi apud Samuelem Guichenonium in bibliotheca Sebusiana pag. 315., quod, ut putat Mabillonius in capite sexto libri tertii de re diplomatica, si non prorsus spurium, saltem interpolatum videtur. Item spurium atque adulterinum esse aliud Leonis rescriptum, quod profert Ratisponense cœnobium sancti Emmetammi, ut sibi sancti Dionysii Areopagytæ corpus contra Sandionysianos monachos vendicet, late scribit ac probat Petrus Halloix in tomo primo de Vitis patrum Orientalium in Dionysio quæstione quarta, ubi solidissima eruditione ejus vitia recludit.

CA-

CAPUT XIV.

Nonnulla Pontificum Berardi æqualium rescripta inani studio itidem producuntur.

I. POST ementita aut corrupta tot antiquorum principum diplomata, nonnulla etiam sibi æqualium Pontificum producit Berardus, a quibus vitii suspicio abesse potest, unde fides saltem illis adhibeatur.

Horum primum est Calixti II. (cujus tamen tempora licet propiora arbitror non vidisse, ut de Paschalis II. ætate in superioribus scripsi) de quo idem Berardus in chronici libro tertio: „ Giso abbas (infit) providens ad profectum ecclesiæ impetravit privilegium Calixti Papæ in anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo vicesimoprimo, cujus initium: *Apostolicæ Sedis*; deinde hæc habet: „ Monasterium beati Clementis, UBI VIDELICET GLORIOSISSIMUM CORPUS EJUSDEM MARTYRIS REQUIESCERE CREDIMUS &c. Datum Laterani quarto kalendas Aprilis indictione decimaquarta, incar-

„ carnationis Dominicæ anno millesimo cente-
„ simo vicesimoprimo, Pontificatus domni Ca-
„ lixti II. Papæ anno quarto; quod tamen in
„ oppositum nihil urget, quum *Clementis Martyris* tantum meminerit.

Alterum est Hadriani IV. Romanæ ecclesiæ cardinalium subscriptione firmatum, de quo itidem chronographus: „ Leonas abbas (ait) liber-
„ tatis privilegium & munitionis impetravit a
„ sanctæ recordationis Papa Hadriano &c. quod incipit: *Effectum justa postulantibus*; ubi legitur: „ Præfatum monasterium, ubi corpus beati
„ Clementis Papæ et martyris requiescit &c.
„ Datum Laterani secundo idus Martii indictione
„ sexta, incarnationis Dominicæ anno millesimo
„ centesimo quinquagesimooctavo, Pontificatus
„ anno quinto.

Tertium Alexandri III., quod prostat in fine tomi sexti apud Ughellum, a cardinalibus item subscriptum, cujus exordium est: *Religiosis votis*, hæc subdit: „ Monasterium, ubi corpus beati
„ Clementis Papæ et martyris requiescit &c.
„ Datum Laterani decimoquinto kalendas Apri-
„ lis indictione decimaquinta, incarnationis Do-
„ minicæ anno millesimo centesimo sexagesimo-
„ sexto, Pontificatus anno sexto.

Quartum ejusdem Alexandri, de quo etiam Berardus inquit: „ Eodem insuper anno, videlicet

V

„ licet Dominicæ incarnationis millesimo cente-
„ simo septuagesimo apostolicis literis auctorizavit
„ festum translationis corporis beati Clementis
„ omni anno sexto kalendas Junii sollemniter
„ celebrandum; mox incipit: *Licet omnes*; & de
sacro corpore hæc addit: „ In die TRANSLATIONIS
„ CORPORIS SANCTI CLEMENTIS PAPÆ ET MARTY-
„ RIS, QUOD, SICUT IN ANTIQUIS SCRIPTIS HABETUR,
„ IN EADEM ECCLESIA REQUIESCIT &c. Datum Ve-
„ rulis quarto kalendas Maii.

Quintum Celestini III., quod ibidem exstat apud Ughellum, cardinalium quoque subscriptione munitum Joheli monasterii Piscariensis abbati nuncupatum, & quod exorditur: *Religiosis votis*; ubi eadem tradit ac Hadrianus & Alexander, nimirum: „ Præfatum monasterium, UBI CORPUS SANCTI
„ CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS REQUIESCIT &c.
„ Datum Romæ apud sanctum Petrum idibus Ju-
„ nii indictione nona anno incarnationis Domi-
„ nicæ millesimo centesimo nonagesimoprimo,
„ Pontificatus anno primo.

II. Quibus addendum est illud Rogerii Siciliæ regis, quod (ut ajunt) autographum ex bibliotheca Casinensi profertur, quodque ex codice Petri Columnæ edidit Ughellus in eodem tomo sexto Italiæ sacræ, & cujus meminit etiam Berardus in chronico, ubi legitur in exordio: „ *Re-*
„ *gum catholicorumque principum*; & inferius:

Quo

„ Quocirca monasterium, quod rex bonæ memoriæ Ludovicus in insula, quæ Casaurea vocatur, „ ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis construxit & dotavit, IN QUO CORPUS BEATI CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS VENERABILITER RECONDI FECIT &c. Datum in territorio civitatis „ Teatinæ super flumen Piscariæ anno incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo mensis Augusti indictione tertia, anno „ vero regni Rogerii gloriosissimi regis Siciliæ, „ ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ decimo. „ Deo propitio. Amen.

III. Omnia hactenus recensita diplomata, licet sancti Clementis Papæ & Martyris corpus in Piscariensi basilica depositum esse testari videantur, tamen, ut proditum est, non satis ponderis secum ferunt ad confirmandam ibidem ejus exsistentiam. Et sane quoad Pontificia, an revera ex autographis transsumta sint, aliquis dubitationi est locus: in Vaticano enim archivo, quod viri illustrissimi Petri Marcellini Corradini maximi Pontificis CLEMENTIS XI. Auditoris ob plures vulgatos codices de re literaria non uno nomine meriti accurato studio excussum est; necnon in altero Hadrianæ molis, ubi penitiora vetustioraque condita sunt chartarum monumenta humanissime perlustrato opera viri clarissimi ac eruditi Dominici Rivieræ patricii Urbinatis præfecti (quem nuper idem excell. animi

Pon-

Pontifex Clemens XI. doctissimo & probatæ virtutis viro Scipioni Zanello nostrati generalem Hispanicæ nunciaturæ Auditorem suffecit) nullibi servari perceptum habui. Accedit in horum diplomatum aliquo clarum Pontificatus, & indictionis mendum, quod facile quisquam animadvertere potest, unde fide laborant. Ceterum etsi admissa eorum integritate, atque a Pontificibus revera emanaverint (quod etiam de illo Rogerii regis apto modo dicendum est) rerum tamen, quas narrant, certam fidem non faciunt: *Quis enim nescit* (inquit vir perdoctus Jacobus Sirmondus in sua dissertatione de duobus Dionysiis) *Pontificum epistolis, ubi aliquid narrando pronunciant, tantum esse auctoritatis & fidei, quantum illorum est, qui suggesserint*? Quare quum Berardi ævo, quo sancti Clementis Papæ corporis in Piscariensi basilica conditi ab omnibus accepta ferebatur opinio, ejusdem mentionem in præfatis diplomatibus fieri suggestum fuerit, illa idcirco certam fidem non faciunt. Scribit nanque Matthæus Lauretus in suis Vindiciis existentiæ corporis sancti Benedicti apud Casinenses capite tricesimo sexto de similibus Pontificum privilegiis, quæ a monachis Floriacensibus proferuntur: *Ea quæ Pontifex* (ait) *ex sua certa scientia dicit & narrat, verba Pontificis sunt, & ut talia credenda & amplectenda: ea vero,*

quæ

quæ ex petitione seu narratione aliorum literis apostolicis inferuntur, sæpius falsa esse contingit; non enim Pontificis, sed petentis sunt verba.

IV. Verum quam leviter ad illiusmodi vindicanda Sanctorum corpora vetera proferantur diplomata, satis docet idem Casinensium & Floriacensium monachorum exemplum, qui adhuc super corpore sancti Benedicti inter se graviter contendunt. Similes hinc inde allegantur Pontificum bullæ, immo & prohibitiones ne translatio in Gallias annue celebretur, & ex adverso ne alibi quam in Gallia idem corpus esse dicatur alia prohibent rescripta. Quare prudentissimus Mabillonius quum id periculi genus in suis Actis Sanctorum sæculo secundo dissertatione prævia de translatione sancti Benedicti in Gallias offenderit: *Quam firma sint* (inquit) *quæ a bullis Pontificiis, si modo ex certa scientia datæ ac legitimæ sint, petuntur argumenta, nemo ignorat Catholicorum*; deinde paucis interjectis: *At quum in ea, quam tractamus, quæstione bullæ bullis nonnunquam ejusdem Pontificis opponantur, huic argumento supersedemus*: ubi sapientissimo auctori persuasum est quam levia sint diplomatum testimonia super hujusmodi rerum momenta, si non ex certa scientia, sed tantum relative quicquam narraverint.

V. Hic præterea notam postulant aliqua sequioris ævi a me visa aliorum Pontificum privilegia

legia pro Piscariensi monasterio lata, ubi nulla de corpore sancti Clementis Papæ fit mentio, sed solum *de monasterio sancti Clementis*. Primum id præferunt duo Clementis IV. cœnobii Piscariensis abbati nuncupata apud Ughellum typis impressa, alterum quod exorditur: *Conveniens est & honestum*: „ Datum Laterani tertio kalendas „ Junii, Pontificatus anno secundo: alterum quod incipit: *Quum a nobis*. „ Datum Viterbii sex- „ to idus Novembris, Pontificatus anno tertio. Necnon aliud Martini V. ex archivo Vaticano depromptum, cujus initium est: *Ex Romani Pontificis providentia*. „ Datum Romæ apud „ sanctos Apostolos septimo idus Maii, anno „ Pontificatus duodecimo, incarnationis mille- „ simo quadringentesimo vicesimonono. Quæ posteriora Berardi ætate diplomata, quum nusquam de corpore sancti Clementis Papæ & Martyris ibidem condito meminerint, utique prioribus adimunt fidem.

VI. Aliud tantum Clementis IV. privilegium, & (ut credunt) autographum Piscarienses objiciunt (quod unicum est post Berardi ætatem) in quo scilicet festum beati Clementis commendatur, eique sacra die basilicam, & ipsius dedicationis anniversaria accedentibus indulgentiæ conceduntur, ac ubi *beati Clementis corpus requiescere* legitur: idemque nondum editum, etsi aliqua ex parte

parte temporis diuturnitate corrosum atque deletum, hic evulgandum putavi.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati, & conventui monasterii sancti Clementis in Piscaria ad Romanam ecclesiam, ut dicitur, nulla medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti Teatinæ diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem.

„ Licet is, de cujus munere venit, ut sibi
„ a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur,
„ de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multo
„ majora retribuat, quam valeant promereri;
„ desiderantes tamen reddere Domino populum
„ acceptabilem, fideles Christi ad complacendum
„ ei, quasi quibusdam illecturi muneribus, indulgentiis scilicet, & . . . .
„ Cupientes igitur ut ecclesia monasterii vestri . . .
„ ad quam ob devotionem BEATI CLEMENTIS,
„ CUJUS CORPUS IBIDEM, UT ASSERITUR, REQUIESCIT,
„ in festo ejusdem, & anniversario die dedicationis ipsius ecclesiæ non modica confluit populi multitudo, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confessis,
„ qui ad ecclesiam ipsam in festo ejusdem beati
„ Clementis, & anniversario die dedicationis ejus-

„ ejusdem caussa devotionis accesserint, centum
„ dies de omnipotentis Dei misericordia, & bea-
„ torum Petri & Pauli apostolorum ejus auctori-
„ tate confisi de injunctis pœnitentiis misericor-
„ diter relaxamus. Datum Viterbii tertio kalen-
„ das Decembris, Pontificatus nostri anno se-
„ cundo.

At quamvis hocce Clementis IV. posterioris ætatis Pontificis diploma sincerum existimem, non propterea opinioni nostræ repugnat, sed potius eidem mirifice suffragatur. Primo enim relative tantum beati Clementis corpus, verbo scilicet *ut asseritur*, ibidem requiescere enunciat, idque enunciari ab aliorum exemplo monachi Piscarienses Pontifici sugesserunt: necnon quum beati Clementis corpus duntaxat ejusque festum incerta die celebrandum commemoret, sæpedictum revocat argumentum, alterius nempe sancti Clementis corpore Piscariense monasterium donatum fuisse.

VII. Demum in calce hujus capitis observanda est, quo ad Calixti II. & alterum Alexandri III. diplomata (eorum data integritate) alia non levis suspicio ad rejiciendum sub Paschale II. corporis inventionis fabulamentum. Antiquius quippe Calixti diploma anno millesimo centesimo vicesimo subscriptum, admisso quod de venerabili corpore sancti Clementis Papæ reipsa meminerit,

hæc

hæc tradit: „ Beati Clementis monasterium, ubi
„ videlicet gloriosissimum corpus ejusdem Mar-
„ tyris *requiescere credimus*. Aliud Alexandri,
quod posterius est, datum Verulis hæc habet luculentiora:
„ In die translationis corporis sancti Cle-
„ mentis Papæ & Martyris, quod, *sicut in anti-*
„ *quis scriptis habetur*, in eadem ecclesia *requie-*
„ *scit*: quibus nimirum duorum Pontificum rescriptis
argui videtur ut a vero distans sub Paschale
præfata corporis inventio. Enimvero quum Calixtus,
& Alexander, prior sub eodem Paschale
Romanæ ecclesiæ cardinalis superstes esset, & alter
jam forte in vivis ageret canonicus Regularis
in ecclesia Pisana, antequam ab Eugenio III. inter
diaconos cardinales cooptaretur, hujus insignis
adeo inventionis (si qua fuerat) notitiam profecto
habere debuissent; nec propterea in suis diplomatibus
relative atque opinativo sensu venerandi
corporis meminissent. Insuper in Alexandri
diplomate nulla sacri corporis ibi exsistentis ex
parte Pontificis mentio est, sed tantum ex parte
illius, qui diploma suggessit: si enim recens inventio
vera fuisset, Alexander in diplomate *antiqua scripta*
non memorasset, quorum duntaxat
fide venerabile corpus *ibi requiescens* enunciavit.
Antiqua autem hæc scripta, quæ memorat Alexander,
ejusdem etiam, qui diploma suggessit,
arguunt fidem: necnon confirmant *eorundem*

 aucto-

auctoritate famam invaluisse de hujus corporis existentia in Piscariensi cœnobio, quæ Berardo superstite adhuc vigebat. Quum ergo præfati Pontifices solum opinative ac relative sancti Clementis Papæ & Martyris corporis ibidem existentiam tradiderint, immo Calixtus nonnisi *Clementem Martyrem* scripserit; hinc nullum de illo, quod ibi conditum sit aut repertum certæ fidei præstant fundamentum: quin potius vitiosa chronici traditio detegitur, quam tanti ponderis argumenta, tantæque levitatis ineptæ fabulæ, quibus sparsim inquinatum est Piscariense chartarium, satis evincunt. Nemo quippe non videt ab hactenus præmissa disputatione quot absona affluerent, quot inter se pugnarent adversa, siquis ab errore captus huic toti omnino chartario fidem habendam esse contenderet.

CAPUT XV.

Tertium argumentum profligatur, scilicet terræ Castellionis de Piscaria vetus consuetudo, qua hodiedum festum translationis corporis sancti Clementis Papæ & Martyris in insulam celebratur.

I. ETsi vehementi adeo rationum apparatu tot ex adverso argumenta eversa sint, quæ tantum in scriptis eorumque auctoritate vim habent, tamen vetus objicitur consuetudo, qua sexto kalendas Junii quotannis festum translationis sacri corporis in insulam adhuc ab incolis terræ Castellionis de Piscaria solemni ritu celebratur. Verum si rei fundamentum paucis attingam, levi admodum opera tota difficultatis moles collabitur: „ *Veritati enim* (inquit Tertullianus in libro de velandis virginibus capite primo) *nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinium personarum, non privilegium regionum*: quod & Cardinalis Baronius ad annum centesimumnonum his verbis

 con-

confirmat : *Jura veritatis sunt ampliora omni antiquitate, quæ nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari &c.* Enimvero hæc, quæque sit, consuetudo veterum, quas respuimus chartarum innititur fide, atque, ut arguit Berardus, & Alexandri III. diploma infra subjiciendum, ante Alexandrum ipsum fuit instituta. Hac translationis sollemni die idem Pontifex Alexander Leonatis Piscariensis cœnobii abbatis & monachorum *piis desideriis ac postulationibus inclinatus* Piscariensem basilicam visitantibus peccatorum indulgentiam largitus est, & diploma, dum Verulis morabatur, emisit : (cujus ecclesiæ regimini hodie summa cum laude episcopus præficitur vir illustrissimus ac multiplicis doctrinæ lumine perquam insignis, Faventiæ nostræ singulare ornamentum Dominicus de Zaulis in Urbe Vicesgerens emeritus) ibique ipsum Leonatem ex subdiacono Romanæ ecclesiæ inter diaconos cardinales adlegerat, de quo testis est in libro tertio chronographus Berardus his verbis : „Eodem anno (scilicet ultra millesimum centesimo septuagesimo) quum domnus „ Leonas abbas subdiaconatus fungeretur officio , „ competenter ab ecclesia Romana vocatus apud „ Verulas a domno Papa Alexandro in diaconum „ apostolicæ Sedis est promotus duodecimo kalen-„ das Aprilis. Verum de hoc Alexandri privilegio,

gio, quo Piscariensem basilicam subdititiæ translationis festivo die accedentibus indulgentias concessit, hæc, ut diximus, tradit idem Berardus:,, Eodem
,, insuper anno apostolicis literis auctorizavit fe-
,, stum translationis corporis beati Clementis om-
,, ni anno sexto kalendas Junii sollemniter cele-
,, brandum. Berardum tamen ita explicandum puto, quod Alexander hujus translationis festum apostolicis literis nequaquam confirmaverit, sed tantum illa die, quæ pridem a Piscariensibus sollemni more celebrabatur, basilicam visitantibus peccatorum remissionem concesserit. Id enim liquet ipsum diploma legenti, quod prostat in chronico, quodque autographum venditant Piscarienses:

Alexander episcopus servus servorum Dei: dilectis filiis Leonati abbati, & conventui sancti Clementis de Piscaria salutem & apostolicam benedictionem.

,, Licet omnes, qui pia & religiosa loca
,, intuitu devotionis frequentant, & ibidem omnipotentem Dominum devotis orationibus & votivis cordis affectibus sibi reddunt placatum,
,, suorum mereantur percipere veniam delictorum,
,, in sollemnibus tamen & præcipuis festivitatibus
,, tanto celebrius eadem loca debent ab universis
,, Dei fidelibus frequentari, & majori devotione

ac

„ ac reverentia venerari, quanto devotius tunc
„ ecclesiastici viri obsequiis divinis insistunt, &
„ pro excessibus populorum specialius omnipotens
„ Dominus & ferventius exoratur. Quoniam igitur
„ pium & justum est, & a sanctis patribus institu-
„ tum, ut ad ecclesias Dei universi fideles in præ-
„ cipuis & sollemnibus diebus compuncta mente
„ & ardenti desiderio concurrere debeant, & in
„ voto laudis & placationis suorum peccatorum
„ indulgentiam implorare; nos pro vestris piis de-
„ sideriis & justis postulationibus inclinati univer-
„ sis, qui ad ecclesiam vestram IN DIE TRANSLA-
„ TIONIS CORPORIS SANCTI CLEMENTIS PAPÆ ET
„ MARTYRIS, QUOD SICUT IN ANTIQUIS SCRIPTIS
„ HABETUR, IN EADEM ECCLESIA REQUIESCIT devota
„ mente concurrerint, & ibidem vobiscum in
„ ejusdem gloriosi Martyris veneratione vota lau-
„ dis & placationis exsolverint, id ex parte omni-
„ potentis Dei, & auctoritate apostolorum Petri
„ & Paulli, ac nostra in suorum remissionem
„ injungimus peccatorum. Datum Verulis quarto
„ kalendas Maii.

II. Verum tamen nonnulla in oppositum faciunt argumenta, an hoc Pontificis Alexandri diploma reipsa legitimum sit, vel in autographo sincerum. Quantum enim in concedendis indulgentiis veteres Romani Pontifices fuerint parci recte

recte observat Johannes Morinus vir ab eruditione singularis in suo commentario historico de administratione pœnitentiæ libro decimo capite vicesimotertio: quapropter paullo credibile est, Alexandrum die, qua sancti Clementis Papæ translationis festum peculiari institutione celebrabant Piscatienses, plenam *peccatorum remissionem* tribuisse. Nunquam quippe consueverunt Pontifices, ut animadvertit Cardinalis Baronius ad annum centesimum septuagesimumseptimum ultra millesimum, ejusmodi universales indulgentias concedere, nisi de expeditione in terram sanctam res ageretur: ad quod elucidandum nonnulla pertinent ipsiusmet Alexandri III. exempla, quibus constat eundem Pontificem nunquam universales hujus generis remissiones impertiri consuevisse. Refert idcirco ad prædictatum annum Cardinalis Baronius, altare majus Ferrariensis ecclesiæ Alexandrum consecrasse, quo consecrationis die omnibus pœnitentibus & confessis illud visitantibus annum unum de criminalibus, & septimam partem venialium relaxavit: *Quibus vides* (inquit ipse) *usum ejus temporis concedendi per Romanos Pontifices indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præterquam in expeditione terræ sanctæ*: quod ulterius manifestum est ex pluribus aliorum Pontificum diplomatibus. His merito doctissimus auctor ecclesiæ Anconitanæ vetera quædam scripta redarguit,

guit, in quibus continetur ab Alexandro concessum primis singulorum mensium Dominicis diebus tantum indulgentiarum quantum arenæ maris ambæ manus simul junctæ capere possent; easdemque indulgentias tanto Pontifici perperam affictas fuisse demonstrat.

III. Necnon in concilio Lateranensi tertio capite ultimo apparet eundem Alexandrum anni terminum progrediendo duorum tantum annorum indulgentiam iis, qui contra hæreticos arma tulerint, elargiri. Si ergo Pontifex Alexander pro gravissimis ecclesiæ & religionis rebus adeo parcus in concedendis indulgentiis fuit, ut nonnisi temporarias concesserit, nescio quomodo Piscariensem basilicam tantum accedentibus illimitatam *suorum peccatorum remissionem* retribuat. Et licet simile aliud diploma Alexander III. revera emiserit, quod publicum exstat apud Ludovicum Taurellum in sæculis Augustinianis tomo sexto ad annum Christi millesimum trecentesimum nonagesimumprimum: „ Datum Venetiis apud sanctum Marcum sexto idus Maii, Pontificatus anno decimoseptimo: ubi Pontifex sancti Marci ecclesiam „ die Ascensionis domini nostri Jesu Christi a vespera vigiliæ ipsius usque ad vesperam ejusdem „ diei devote visitantibus annuatim, & manus ad „ ejus conservationem porrigentibus adjutrices, „ plenam omnium suorum peccatorum absolutionem

„ tionem concedit; tamen exemplo esse non potest eundem Alexandrum aliosque æqualis sæculi Pontifices hasce indulgentias relaxare consuevisse, quum ad insignem sancti Marci basilicam ampliori super alias orbis privilegio cumulandam ingentia suppeterent argumenta, quibus Alexander serenissimæ Reipublicæ expertus fuerat in apostolicam Sedem singulare studium & religionem; quum nimirum adversis calamitatibus miserrime quassata, ejus dignitas Venetæ Reipublicæ beneficio fuerit restituta: quamobrem illa peculiari hoc privilegio, aliisque pluribus & sane amplissimis, ut satis omnibus constat, meruit decorari. Quibus accedit in Veneto diplomate visitantibus sancti Marci basilicam *omnium peccatorum absolutionem* quidem concedere, sed iis tantum *vere pœnitentibus*, *confessis*, *& contritis*, quemadmodum in aliis idem Alexander aliique Pontifices concedere consueverunt, ut plurima apud Cardinalem Baronium testantur diplomata, atque observavit Morinus. In hoc autem pro Piscariensi basilica diplomate nulla *de confessis* & *pœnitentibus* fit mentio: unde probabile parum est Alexandrum Pontificem Piscariensem basilicam *devota mente* accedentibus, ibidemque *vota laudis* & *placationis* tantum *exsolventibus suorum peccatorum remissionem* tribuisse, nec *de confessis* & *pœnitentibus* meminisse.

Y At

IV. At nedum fuit Alexander in concedendis indulgentiis parcus, verum etiam alii, qui deinde sequuti sunt Pontifices: quos inter Innocentius III. cum Lateranensi toto concilio canone sexagesimosecundo hæc decrevit: *Decernimus ut quum dedicatur basilica non extendatur indulgentia ultra annum: in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat: hinc quoque dierum numerum indulgentiarum literis præcipimus moderari*. Itidem Urbanus IV. festum in memoriam institutionis sanctissimi Eucharistiæ sacramenti anno ducentesimo sexagesimoquarto ultra millesimum per universum orbem indixit, atque inter cetera, quæ dedit privilegia, plures tribuit indulgentias, parce quidem si desiderium spectes, quo ferebatur in hujus festi sollemnitatem & magnificentiam, liberalissime vero si temporis mores animadvertas; & tamen nonnisi temporarias concessit, ut in Clementina *de reliquiis & veneratione Sanctorum* notatur: idemque palam facit præfatum Clementis IV. diploma, ubi *pœnitentibus* & *confessis Piscariensem basilicam visitantibus centum dies* duntaxat *de injunctis pœnitentiis* relaxavit.

V. Ut autem e diverticulo in viam redeam, licet de hujus translationis festo meminerit Alexander in suo diplomate (quod ultro integrum admittimus) non ideo illam dicendum est Pontificia aucto-

auctoritate confirmavisse, atque sacri corporis exsistentiam eidem Piscariensi cœnobio vendicasse; quod optime præ ceteris produnt verba: *sicut in antiquis scriptis habetur*, juxta quorum tantum dubium sensum ejus imbi existentiam enunciavit. Et tametsi Castellionenses ob Alexandri III. privilegium (hac admissa hypotesi) festum translationis sancti Clementis Papæ & Martyris in eorum basilicam celebrarent, non propterea sequeretur Pontificem illam ut certam approbavisse. Ad id suadendum congruit quicquid de commenticia pariter translatione corporis sancti Benedicti in Gallias scribit supra citatus Lauretus capite secundo, cujus festum Clementis VII. diplomate annuo ritu celebrant monachi Floriacenses: *Præfatus Pontifex* (ait) *attendens hoc negocium orthodoxam fidem non tangere, indultum concessit*. Mox paucis interpositis: *Monachorum præfatæ congregationis precibus inclinatus Clemens Papa permisit illis celebrare festum translationis sancti Benedicti, quandoquidem celebritas hæc non censetur esse nec contra fidem catholicam, nec contra bonos mores*; Deinde infra: *Et licet pars negativa hujus translationis vera sit, potest tamen non solum absque peccato, verum etiam cum merito ejus festum celebrari*. Demum concludit: *Quando ergo Pontifices summi permittunt celebrare translationem sancti Benedicti, aut sancti Dionysii Areopagytæ, vel conce-*

dunt indulgentias celebrantibus hujusmodi festa, non statim censendi sunt approbare, seu determinare veram & certam esse talem translationem, sed solum provocare fideles ad venerandum eo die Sanctum illum, sive fuerit translatum sive non, permittentes eis celebrare quod absque peccato, immo cum merito celebrare possunt. Sic orat ecclesia & missas celebrat pro fidelibus defunctis in particulari, quos ignorat, ubi sint, nec propterea determinat illorum animas esse in purgatorio. Itaque satis superque Laureti doctrina planum est Pontificem Alexandrum, etsi sancti Clementis Papæ translationis meminerit, quæ in Piscariensi cœnobio celebrabatur, illamque recolentibus indulgentias concesserit, non tamen velut certam admisisse.

VI. Ad errorem quod attinet, quo Castellionenses obducti eandem sancti Pontificis translationem etiamnum servant, recte consonat quicquid de Floriacensibus illam sancti Benedicti annua pompa celebrantibus diserte tradit idem Lauretus: *Duplex* (inquit) *potest haberi error circa aliquam rem, speculativus, & practicus. Error speculativus est quando quis habet caussam moraliter sufficientem ad credendum aliquid esse verum, quod tamen a parte rei aliter se habet, sicut quando Jacob congressus est cum Lia, quam credidit esse Rachelem; hic error est involuntarius, & qui illum*

illum habet, patitur, quum ad illum non concurrat, & ideo dicitur speculativus, quia est mere in intellectu. Error practicus est ille, quem quis facile vincere & superare potest, sed negligit facere quod debet ad illum expellendum; error iste est voluntarius, quia homo ad illum aliquatenus concurrit, estque illius caussa. Error itaque speculativus non transit in mores, idest non vitiat practicas actiones, quum malitia a voluntate nascatur: error vero practicus transit in mores, & vitiat humanas actiones, eoquod ad ipsum concurrit voluntas. Hanc rem exemplis illustrando: *Si a personis religiosis* (prosequitur) *reliquiæ proponantur sub nomine alicujus Sancti, cujus revera non sunt, immo forte nullius Sancti sunt, atque ab adstantibus adorentur & venerentur, nullum peccatum committunt, quia non falsam reliquiam, sed verum Sanctum adorare intendunt. Denique qui adorat hostiam non consecratam, quam tamen credit consecratam, quamvis materialiter falsum sit quod adorat, non peccat, sed facit quod debet.* Doctrinam hanc Lauretus celebritati translationis sancti Benedicti, quam recolunt Floriacenses, admovendo: *Eadem modo* (ait) *dicendum de celebritate translationis sancti Benedicti: qui simpliciter credunt eam esse veram, nihil peccant celebrando, quantumcunque falsum sit quod celebrant, quia error ille est mere specu-*

lati-

latrvus & involuntarius, & sic non vitiat actionem illam. Licet ergo Castellionenses annuam adhuc sancti Papæ Clementis translationis celebritatem observent, nullam quidem culpæ notam incurrunt, quum potius sancti Pontificis memoriam hujus festi consuetudine duplici afficiant cultu, & majori laudis cumulent ornamento.

VII. Vetus quidam his adnectitur hymnus in antiquo codice Alanensis ecclesiæ in spiritualibus monasterio Piscariensi subjectæ servatus, quem olim Piscarienses monachi in officio de sancto Clementi Pontifici sacra ad vesperas canebant:

„ Clementis festa celebret ecclesia,
„ Laudes persolvat magna cum lætitia,
„ Hac nanque die Martyr scandit ardua,
„ Ubi cum Christo fruitur per sæcula,
„ Impetret nobis gaudia cœlestia.

„ Hic Romæ natus stirpe nitet regia
„ Petri beati sequutus vestigia.
„ Tandem post Petrum summus Præsul claruit,
„ Et Petri sedem solus ipse meruit,
„ De qua fideles verbum vitæ docuit.

„ Dilectus erat Judæis & Gentibus,
„ Ostendens cunctos ex eorum legibus

Te-

„ Teneri strictos, & legi obnoxios,
„ Peccato, morti per omnia deditos
„ Gratia Dei mire satis erutos.

„ Tunc convertuntur Christo sacræ virgines
„ Magnatum sponsæ Deo peramabiles,
„ Sed Theodoræ sponsus zelotypio
„ Cæcus & surdus factus est continuo,
„ Sed per Clementem credens, sanus redditur.

„ His ergo caussis invida relatio
„ Regi Trajano, ejusque palatio
„ Fit de Clemente a pravis hominibus,
„ Hinc Cæsar motus mandat suis civibus,
„ Ut mox Clementem maris darent fluctibus.

„ Mandatum Regis protinus efficitur [tur,
„ Trans Pontum Clemens Chersonam deduci-
„ Ubi pro Christo damnatis exsilio
„ Agno monstrante exstitit auxilio
„ Divino eos satiando poculo.

Hic dividitur ad laudes.

„ Aufidianus dux missus a Cæsare
„ Præcepit Sanctum demergi in æquore,
„ Huic Dei virtus dedit habitaculum

In

„ In mari; magnum factum est miraculum,
„ Festo Clementis mare cessit tumidum.

„ Nam siccum iter populis credentibus
„ Mare præbebat in multis temporibus;
„ Sed post, peccatis nostris exigentibus,
„ Templum destructum exstitit a Gentibus,
„ Ex tunc cessavit insigne miraculum.

„ Postquam Divinæ placuit potentiæ,
„ Per Constantinum Clementis reliquiæ
„ Inventæ Romam portantur; a Præsule
„ Suscipiuntur Sedis apostolicæ,
„ Ibi ponuntur ad momentum temporis.

„ Sed Ludovicus Cæsar invictissimus
„ Clementis corpus, summus vir, magnificus,
„ Papa donante, insula Piscariæ
„ Locavit Sanctum satis honorifice;
„ Omnes lætemur, clerici præcipue.

„ Sit Patri decus, sit & Nato gloria,
„ Flamini sancto pax sit & victoria,
„ Concedat nobis spernere terrestria
„ Quo mereamur scandere cœlestia
„ Trinus & unus Rex per cuncta sæcula:
„ Amen.

Ut

VIII. Ut autem hymni hujus destruatur auctoritas, ubi in insulam Piscariæ corporis sancti Clementis Papæ translatio memoratur, ejusdem satis est explorare principium, quod a Berardi ætate petendum esse auguramur. Id augurandi conjecturam suppeditat plurima occasio, quæ Berardo superstite sese obtulit pro sancti Clementis festo, vel pro ejus, quam celebrabant Piscarienses translationis sollemnitate, officium proprium atque hymnum conficiendi: primo Alexandri III. diploma, quo translationis diem indulgentiis locupletavit: deinde inventionis festivitas, quam Leonas abbas suadente Berardo instituit, de qua idem auctor in chronici libro tertio: „ Ipse nanque ab„ bas (ait) instituit ut festum inventionis ejus„ dem Martyris tertio kalendas Januarii reco„ lendum, suprascripto fratre Johanne Berardo „ suggerente atque rogante; & demum Cathedræ sollemnitas, quam idem Leonas abbas in monasterio quotannis celebrandam curavit, de qua etiam scribit Berardus: „ Similiter fecit de festo Cathedræ „ ejusdem gloriosi Pontificis, ut decimo kalendas „ Februarii celebretur.

CAPUT XVI.

Quartum & ultimum argumentum diluitur, scilicet Piscariensis basilicæ vetera monumenta, tabulæ, & inscriptiones, quibus eidem exsistentia corporis sancti Clementis Papæ & Martyris immerito vendicatur.

I. OBTINENT extremum locum Piscariensis basilicæ vetera monumenta, quorum exemplaria publicæ fidei testimonio communita ad me pervenerunt opera viri clarissimi & ecclesiastici eruditionis studiosissimi Antonii Sanfelicii Neapolitanæ ecclesiæ canonici, quo etiam atque etiam adhortante, & sedulo suppetias præbente ad hoc qualecumque opus animum appuli. Horum autem monumentorum insignius apparet æneum basilicæ ostium affabre atque eleganti forma elaboratum, quod miraculorum omnium, castrorum, villarum, ac totius abbatiæ jurisdictionis compendium & veluti speculum est, ubi antiqua Imperatoris Ludovici exprompta, pluraque sancti Pontificis translationis argumenta spectantur. Enimvero super medium portæ marmoreum arcum

cum extat primo a capite sculpta urbs quædam, hac in medio nota: *Roma*; inde cernitur Pontifex sedens inscripto nomine *Hadrianus PP. II.*, qui capsulam quandam manibus tenet ossibus (ut perperam creditur) sancti Papæ Clementis onustam: Coram Pontifice visitur curvo genu, & capite inclinato Imperator, qui venerabundus capsulam e manu Pontificis capit, hisce incisis notis: *Ludovicus Imperator*, sub quo hoc adpositum legitur carmen:

CÆSARIS AD VOTUM CLEMENTEM CONFERO TOTUM;

Cui duo hæc alia subduntur:

Ecce pater patriæ magnum tibi confero munus,
CLEMENTIS CORPUS, *tu sacrum suscipe funus.*

II. Deinde post Imperatorem quidam inspicitur oblongis vestibus indutus stricto præ manibus ense, his verbis e latere insculptis: *Suppo Comes*; post quem Imperator iterum extat, qui devote capsulam illam super quoddam animal imponi jubet, & ad monasterium ab ipso ædificatum asportari, cum epigraphe: *Sub Imperio Ludovici Cæsar*; hinc sculpti sunt duo monachi, adposito nomine *Fr. Celsus. Fr. Beatus.* qui obviam exeunt capsulæ, ut eam recipiant: post monachos

templum erectum est fluvio circunseptum, a quo egressi fuerant monachi, & ubi reliquiæ adservandæ sunt cum inscriptione: *Templum S. Trinitatis*; subinde duo hæc supponuntur carmina:

Martyris eximii Clementis suscipe corpus,
Insula Piscariæ, Paradisi floridus hortus.

Præterea Imperator rursum apparet cum literis: *Ludovicus Imperat.*, qui porrigit sceptrum domini cuidam monacho, juxta quem nomen inscribitur: *Romanus abbas primus*; subtus autem hic legitur versus:

Sceptro firmamus regimen tibi, sume, rogamus.

III. Demum in ultima ostii parte quidam alius vestibus pariter oblongis indutus est, ejus a latere impresso nomine: *Sisenandus miles*, qui scriptum præ manibus habet cum his verbis: *Cæsar vestra sit hæc insula Piscariæ*. Post illum infulatus extat episcopus quidam, ejus superimposito nomine: *Gribaldus episcopus*, qui dextera manu insulæ Piscariæ exemplar, & sinistra scriptum aliud ferens, illud exhibet Imperatori, his insculptis notis: *Damus vobis omne jus nostrum de hac insula*. Circa Imperatorem legitur: *Ludovicus Imperator*, apud quem comes alius rogatus ensem gestans cernitur

nitur inscripto nomine: *Heribaldus comes*; subtus alii duo sunt versus:

Insula Piscariæ, quæ nostri juris habetur,
Libera perpetuo tua, Cæsar, jure vocatur.

Hactenus ænei ostii descriptio, quæ optime consonat Ughelli testimonio illud etiam in tomo sexto Italiæ sacræ inter episcopos Teatinos de Petro episcopo elegantissime describentis. Accedit super ostium inter hujus basilicæ monumenta medium sancti Papæ Clementis simulacrum pastorali virga decoratum cum nomine: *Sanctus Clemens*; cujus dexteræ duo quidam levitico insigniti indumento adhærent, quorum alter in pectore has gerit literas: *Homo quidam nobilis*, & super caput: *S. Phœbus*; alter vero simili prorsus modo has alias: *Clemens epūs oībus fidelibus Benedictio in* IX̄ IHV; & super caput: *S. Cornelius*. Sinistro exinde lateri præfati sancti Clementis simulacri unico tantum curvo genu adstat abbas pontificali veste ornatus, qui templi quoddam exemplar ei porrigit, hac addita inscriptione:

Suscipe sancte Clemens tibi regia templa parata,
Retribuens Cœlo Leonati regna beata.

Hinc

IV. Hinc ante chorum defixum est lapideum altare, sub quo sancti Papæ Clementis corpus requiescere fertur, ubi hæc duo notantur carmina:

Martyris ossa jacent hac tumba sacra Clementis:
Hic Pauli decus est, & Petri jura tenentis.

Sepulcralis urna, quæ majorem hanc basilicæ aram efformat, duplex ostiolum sive foramen habet, unde introspicitur, ac facile tangi potest alia ex alabastro minor urna mirifice elaborata, ubi sanctissimi Papæ & Martyris corpus adservari tot usque argumentorum apparatu contenditur. Hæc vero ceteroquin perinsignia Piscariensis basilicæ monumenta ægro animi sensu accepi labentium sæculorum vices ac detrimenta sensisse, necnon diuturna temporis edacitate paullatim labefactari. Quum enim monasterium ad hæc usque tempora, ab obitu scilicet Francisci Bonvisii Lucensis episcopi optimi & laudatissimi cardinalis commendatario vacaverit, donec maximus & sapientissimus Pontifex Clemens XI. Carolum Augustinum Fabronum pietatis laude ac lectissima literarum eruditione præstantissimum Cardinalem in celebri illa undeviginti Purpuratorum creatione assumtum abbatem commendatarium præfecit, ejus cura neglecta fuit, illudque solo æquatum ac sacro ornatu destitutum

tutum, fere in speluncam redactum; nec hodie dignum aliud ac insigne sacræ illius vetustatis, nisi quod olim habuit nominis ornamentum, præfert. Nuper tamen ejus reparationi manum admovit idem Pontifex beneficentissimus, qui plura, quæ defecerunt, ecclesiasticæ antiquitatis ædificia priori in dies restituit majestati.

V. Quo vero ad sacri corporis exsistentiam, quam eadem hæc monumenta suadere videntur, facili etiam opera eorum aspernamur auctoritatem. Hæc enim, ut de Pontificum, & regis Rogerii diplomatibus disputavi, Berardo in vivis agente condita sunt, cujus ætate, ut sæpius observatum est, venerandi corporis ibi exsistentis maxime invaluit fama: unde prodito fontis defectu, cetera deinde, quæ fluunt, merito etiam ut corrupta censentur. Quod autem Berardo superstite condita sint, docet primo ejusdem æneæ portæ sculptura, quæ prænarratæ a Berardo translationis historiæ omnino consentit: deinde id testatur ipse Berardus in chronici libro tertio, ubi restaurationes monasterii describens hæc profert de Leonate abbate basilicæ Piscariensis insigni reparatore: „ Ipsius „ ecclesiam renovare cœpit opere mirifico, & co„ piosis expensis & apparatibus, & magistrorum „ & cæmentariorum agminibus aggregatis, primo „ frontispicium *cum tribus portis ædificavit, &* „ *ibidem sculpturis apparentibus decoravit.* Denique

„ que ipsam pulcherrimam porticum, quæ est an-
„ te, levavit, & sicut cernitur, in tumbam fabri-
„ cavit, & primo operi conjunxit anno millesimo
„ centesimo septuagesimosexto; unde sic est versifi-
„ catum: [imo

„ Hoc templum primo Ludovicus construxit ab
„ Abbas quod clare Leonas cupiens renovare,
„ Cum voto magno Domini fundavit in anno
„ Milleno seno centeno septuageno.

Quocirca satis constat Berardo superstite ex tribus *portis*, quas *sculpturis apparentibus* Leonas *decoravit*, æneam, quam descripsimus, fabricatam fuisse, necnon & cetera ejusdem basilicæ monumenta Leonatem curasse, quum scilicet totam basilicam, ut chronographus notat, *opere mirifico & copiosis expensis cœperit renovare*: id etiam monet Leonatis simulacrum basilicæ exemplar præ manibus ferens, atque indicant super ostium inscripta Leonina carmina, quæ omnia Leonatem totius basilicæ alterum conditorem significant. Siqua tamen ante Leonatem his antiquiora supersunt monumenta, quæ sancti Clementis ibi existentiam suadeant, ut forte est prope altare sepulcralis inscriptio, quum *sancti Clementis* tantum, vel *sancti Clementis martyris*, nunquam vero *Pontificis* memoriam præferant, nedum in contrarium non urgent, quin potius præmissa confirmant. Quid autem in urna ex

ex alabastro hodie servetur, mihi prorsus ignotum est, nisi revera alterius sancti Clementis reliquias conditas esse putem.

VI. Piscariensis itaque hujus basilicæ monumentorum prodita ætate, satis inde omne corruit argumentum, quo corporis sancti Clementis Papæ ibidem existentia probatur. Quin immo Ughellus in tomo sexto Italiæsacræ licet historiam fundationis monasterii publicam fecerit, ibique æneum basilicæ ostium descripserit, nihilominus de existentia sacri corporis ambigens, quum Romæ hactenus servari nosset, olim tantum illud, seu partem ejus in Piscariensi basilica tradidit quievisse; quod sane difficultatis periculum, etsi rem ulteriori examine non discusserit, paullo tamen vir doctus perspectum habuit. De Petro enim Teatino episcopo sermonem agens: „ Quo fortasse (inquit) „ vel alio ejus successore celebre monasterium sancti Clementis Papæ & Martyris in Aprutina „ provincia juxta fluminis Piscari decursum ex- „ structum est a Ludovico II. Imperatore, & ab „ eodem flumine denominatum, & Casauriense „ aliquando dictum, *ubi corpus, vel saltem pars* „ *corporis sancti Clementis Papæ ab Hadria-* „ *no II. eidem Imperatori dono datum honorifice* „ *requievit*. Id quoque agnovit Christianus Lupus in Scholio ad caput vicesimumsecundum de Præscriptionibus Tertulliani, ubi ait: „ Palam fa-

„ vet antiquum chronicum Piscariensis monaste-
„ rii: *hoc enim habuit corpus sancti Clementis*,
„ & hujus antiquissima theca habebat aureis lite-
„ ris inscriptum: *Hic jacet sanctus Clemens* &c.
Verum si præfati auctores sancti Clementis Papæ corpus, vel ejus partem olim in Piscariensi basilica quievisse tradiderunt, ego tamen nec corpus nec partem unquam conditam fuisse contendo.

VII. Atque ut cum Baronio ad annum sexcentesimumquartum animæ Trajani fabulæ confutationem absolvente discussioni huic finem imponam, cum quo illam aggressus fui, hæc addenda duxi: *Abeant igitur vana commenta sepeliantur que æterno silentio, data venia iis, qui quod factum acceperunt verum putantes, de eo scripserunt. Sit itaque tandem postliminio veritas reddita sua fulgens integritate ac sinceritate, firma tutaque consistat, nec amplius historica veritas hujusmodi labefactetur ineptiis*. Deinde ad rem prosequitur: *Vidisti quidem quam levibus ac frivolis nitatur res tanta fabellis, & traducatur undique mendaciis historia tanti momenti*, quæ quum nullos gravis fidei testes habeat, *prudens quisque facile judicaverit esse oblivione delendam, damnandamque silentio, quæ probatione destituitur, mendaciis scatet, nec saltem verisimili aliqua nititur conjectura, neque ullo stabili fundamento subsistit*.

CA-

CAPUT XVII.

Adferuntur pro coronide argumenta, & auctorum testimonia, quibus sancti Clementis Papæ & Martyris corpus ejus Romanæ basilicæ etiamnum adjudicatur.

I. VINDICATO sancti Clementis Papæ & Martyris corpore ab inani & commenticia translatione in insulam Piscariæ, ibidemque exsistentia, quam fabulosis traditionibus e tabulario Casauriensi Johannes Berardus ediderat, hinc sequitur, nunquam intermissa temporis serie ab Hadriani II. ætate in Romana ejus nomini sacra basilica adhuc requiescere, ubi illud primum Chersona translatum sanctus Cyrillus deposuit. Verum ne quis quod scripsi ad vindicandum Romanæ urbi adeo pretiosum ac venerabile pignus animo haud æquo accipiat, idcirco judicium meum lubens eruditorum omnium censuræ subjicio: tamen probe teneo neminem cordatum ac sanæ mentis virum, me levis caussæ vindicias subjisse dicturum, eamque futili argumentorum munimento vindicavisse.

II. Mox ut nonnulla proferam testimonia, quæ Romæ sancti Clementis Papæ corpus constanti fide etiamnum tribuunt, primo occurrit vetus & nunquam interposita plurium sæculorum traditio, publico vocis & famæ suadente suffragio, quæ satis superque illud Romanæ basilicæ adjudicat: hic tamen opponi haud recte valet, Piscariensem etiam ecclesiam suam & æque veterem de sacro corpore traditionem producere, namque observata illius origine, quam prorsus illegitimam atque suppositiciam agnovi, illico omnis & quæque ejus labitur fides. Quantam itaque auctoritatem apud cordatissimos quosque antiqua hæc ecclesiarum traditio super easdem Sanctorum reliquias inter se controversantium obtinere debeat, perdocte scribit Johannes Ferrandus in libro secundo capite primo articulo tertio, qui singula rei momenta perpendit. Priscam scilicet ecclesiæ totius traditionem ad fidei firmamentum valentissimam esse, atque adeo omni demonstratione potentiorem evidentioremque apud omnes in comperto est: *Cujus consuetudo* (inquit Tertullianus in libro de corona militis capite quarto) *confirmatrix*, & *fides est observatrix*: *nec quisquam* (auctore Basilio in libro de Spiritu sancto capite vicesimoseptimo) *illi*, *qui vel mediocriter in ecclesiæ jure versatus sit*, *contradixerit*. *Si enim quæ scripta non sunt*, *sed moribus tantum & consuetudine*

ceti-

retinentur, tanquam magni nominis non sint, rejicere aggrediamur, imprudenter ipsis evangelii partibus præcipuis damnum adferemus. Hactenus sanctus Basilius, cujus auctoritate usus sanctus Johannes Damascenus in oratione prima de cultu sanctarum imaginum: *Unde enim vobis* (ait) *notus Calvariæ locus, unde sepulcrum vitæ? nonne quia parentes filios ea non scriptis, sed voce singulis ætatibus docuerunt?* Hæc & alia pluribus pergit dicere doctissimus pater, quibus tanquam amentatis telis vesanam Iconoclastarum hæresim potenter configit. Idem de singularum ecclesiarum perantiquis traditionibus censendum est, ac propterea de constanti illa, quæ uno hominum ore Romæ viget sancti Clementis Papæ & Martyris corpus in basilica ejus nomini dicata requiescere: quamobrem cum Chrysostomo homilia quarta in epistolam secundam Paulli ad Thessalonicenses dicendum videtur: *Traditio est, nihil quæras amplius.* Vix enim hodie (ut dolet Ferrandus) ulla invenitur ecclesia, quæ Sanctorum reliquias, quibus insignitur, traditione potius, quam scripto non tueatur, quod sane antiquorum temporum iniquitas fuit. Ita etiam asseruit Dominicus Ansossius in suo tractatu de sacris reliquiis §. vicesimosecundo Jobi, Tobiæ, aliorumque Cœlitum exuvias in æde sancti Johannis in burgo Ticini adservari: *ex ipsa* (ait) *sanctæ Papiensis ecclesiæ traditione.*

Verum

III. Verum corporis sancti Clementis Papæ & Martyris Romæ existentia nedum sola ac veteri traditione fulcitur, sed etiam monumentorum, scriptorumque fide confirmatur. Et quo ad monumenta basilicæ, quæ supposititiæ translationis ævo posteriora sunt, & potius fabulosæ inventionis æqualia, sat est ut exhibeam duo hæc vetustissima carmina in fronte marmorei septi Langobardico ac antiquo charactere ac rudi metro seorsim descripta:

HAC JACET ECCLESIA CLEMENS SANCTISSIMUS, ÆQUOR
QUEM DIU CELAVIT, *nunc ego corde precor*.

quæ duo carmina optime stant loco testis coævi, atque, ut mea fert opinio, Paschalis II. ætatem præferunt, quo sedente marmoreum illud septum restauratum fuisse sequenti libro erit observandum. Necnon inter monumenta, quæ sancti Clementis Papæ reliquias in Romana ejus basilica requiescere probant, recensendæ iisdem sunt antiquæ plures ejusdem sancti Pontificis imagines, & præsertim illa ostiolo confessionis hærens, ubi sacrum corpus servatur, nuper novis coloribus cum altera ex adverso sancti episcopi & martyris Ignatii ornata, cum veteri epigraphe:

Impius insano te mersit in æquore Cæsar,
His positis aris, nunc pia Roma colit.

Unde

Unde scribit Ferrandus in libro itidem secundo capite primo articulo sexto: *Denique ulterius infero si inter duas ecclesias de possessione earundem numero reliquiarum intercesserit controversia, jure secundum illam fieri posse sententiam, quæ vetustiores picturas & antiquiora simulacra ab episcopo rite approbata simul, & pluribus ante sæculis conservata steterint. Argumentum enim non mediocre est sacras Cœlitum reliquias, ad quarum thecas memoriasve hujusmodi appicta, vel suspensa fuerint imagines, veras ac germanas esse, eas vero suppositicias vel adulterinas merito posse haberi.* Denique prosequitur: *Nemo est hominum, qui eat inficias titulorum, epigrammatum, elogiorumque scriptionibus adhiberi solere fidem, ac picturæ sacrarum ædium parietibus appicta sunt, genus aliquod scriptionis.* Quapropter Johannes presbyter in secunda Nicæna synodo Actione quarta: *Non adversantur* (inquit) *pictores scripturis, sed quicquid scriptura dicit, id demonstrant; itaut sint assertores eorum, quæ scripta sunt.* Et post eum Ammorii episcopus Theodosius in eadem synodo: *Ipsæ sanctæ* (ait) *atque colenda imagines & picturæ, & materiales scriptiones, atque musiva, ad nostram doctrinam, & amulationem, & formam scripta consistunt.* Igitur Romanæ hujus basilicæ monumentorum explorata fide, illorumque Piscariensis jam

jam prodito originis vitio, ei merito sancti Clementis corpus adjudicatur.

IV. Horum defectus, siquis foret, unanimi plurium scriptorum sensu suppletur, qui Romæ sancti Pontificis corpus perspicuo vendicant testimonio, quod nonnisi ex antiquissimis ac probatis monumentis didicerunt. Inter quos primum obtinet locum martyrologium Romanum ad diem vicesimamtertiam Novembris, ubi, ut superius traditum est, hæc habet: „ Cujus corpus deinde „ Romam translatum, in basilica, quæ diu an„ tea ejus nomini fuerat exstructa, reconditum „ est; necnon ad decimamseptimam Decembris, ubi de translatione corporis sancti Ignatii martyris Romam agit: „ Cujus reliquiæ (inquit) rursus „ Romam translatæ sunt, & in ecclesia sancti „ Clementis una cum corpore beatissimi Papæ „ et Martyris summa cum veneratione reconditæ sunt.

V. Verumtamen alii auctores accedunt, qui idipsum luculentius testantur & probant. Petrus de Natalibus in catalogo Sanctorum libro decimo capite nonagesimooctavo hæc scribit: „ Tempore „ Nicolai Papæ I. corpus ipsum a sancto Cyrillo „ Sclavorum episcopo inde sublatum, & Romam „ delatum in ecclesia ejus nomine fabricata re„ conditum est, ubi requiescit miraculis cla„ rens. Huic suffragatur sanctus Antoninus in suo chro-

chronico parte prima titulo septimo capite secundo, his verbis: „ Quidam sacerdos nomine Philippus * missus a Nicolao Papa ad prædicandum „ quibusdam nationibus quum pervenisset ad partes illas, & diligenter inquireret de hoc corpore, & ab inhabitatoribus nesciretur, orationibus propter hoc a clero & populo factis, revelatus est ei locus, & inde eductum, Romam „ deportari fecit, ET IN ECCLESIA SUO NOMINE INTITULATA REQUIESCIT. Adstipulantur itidem Cardinalis Baronii ad annum octingentesimum sexagesimumseptimum, qui Petrum in catalogo laudat, Pompei Ugonii in libro Stationum Urbis de ecclesia sancti Clementis, Octavii Panciroli de thesauris Urbis absconditis, Johannis Baptistæ Rossi in libello clypei castitatis, aliorumque recentiorum testimonia, necnon viri doctissimi Bernardi Montfauconii e congregatione sancti Mauri monachi in suo diario Italico paucis ab hinc annis in lucem emisso capite nono, qui omnes sancti Clementis Papæ & Martyris corpus adhuc in Romana ejus basilica requiescere, & pridem requievisse uno ore confirmant.

* Legendum Philosophus.

VI. Quibus licet satis legitimam hanc plurium sæculorum traditionem adstruentibus, aliorum tamen præsidium postulandum censui, ac propterea Vaticanam adivi bibliothecam, quam, me obsecrante, primus ejus præfectus vir clarissimus

ac singulari literatura præditus abbas Laurentius Alexander Zaccagnius accurata opera excussit (cujus humanitati & optimo consilio me devinctissimum fateor), sed quia nil novi exploratum fuit, ad Vaticanum archivum accessi, & ex illo trium MSS. codicum copiam de Romanis basilicis differentium perhumaniter mihi communicavit vir illustrissimus & omnigena eruditione insignis Johannes Christophorus Battellus, optimi nostri Pontificis Clementis XI. bibliothecarius domesticus, ejusdemque a secretis sacri cubiculi, & latinis epistolis Pontificis nomine scribendis præfectus. Horum primi & antiquioris auctor inscribitur Franciscus del Sodo sanctæ Mariæ in Cosmedin olim canonicus, qui de basilica sancti Clementis inter alias disputationem aggressus, ibidem sancti Pontificis corpus cum alio sancti Ignatii martyris sub confessione conditum esse tradit. Alterius auctor est Benedictus Millinus, qui longo diligentique studio monumenta & partes basilicæ describit, sed expressis verbis de venerabili corpore haud meminit. Ultimi codicis sedulo etiam sacra antiquitate cumulati auctor est Johannes Antonius Brutius olim parochus sanctæ Dorotheæ Urbis, qui de eadem sancti Clementis basilica disertim loquutus, sancti Præsulis corpus ex probatæ fidei scriptoribus ibi depositum confirmat. Idipsum præstat vetus codex de Sanctorum reliquiis, quæ Romæ servantur,

tur, apud Laurentium Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ citatus, Alexandro VI. Pontifice typis editus anno millesimo quingentesimo, & sancti Clementis Papæ corpus in ejus basilica requiescere cum aliis consentit. Vehementi ergo tot argumentorum copia satis reprobata, & inter inanes omnino fabulas rejecta sanctissimi Pontificis corporis translatione in Piscariense monasterium, ibique ejusdem depositione, atque illo a commentitiis traditionibus ineptisque nugis, quibus Casauriense chartarium ab otioso & audaci nimis ingenio deturpatum fuit, longa disputatione ad evidentiam usque vindicato, quin hodie in Romana ejus basilica adhuc requiescat, omne inposterum dubitandi periculum aberit.

CAPUT XVIII.

De locis, ubi aliæ insigniores corporis sancti Clementis Papæ & Martyris partes adservantur.

I. De insignioribus etiam aliis sacri corporis partibus ut nonnulla paullo subjiciam, non leve est inter auctores dissidium de loco, ubi ejus venerabile caput colatur. Monachi Cluniacenses illud tempore sancti Hugonis abbatis Cluniacum Byzantio advectum sibi tribuunt cujusdam monachi Cluniacensis auctoritate, ut notat Gerardus Vossius in libro tertio de historicis latinis inter anonymos incertæ ætatis, cujus opusculi testimonio translationis hymnum hodierna etiam luce babent in codice horario. At vero sancti Clementis Syracusani abbatis caput potius fuisse mea fert sententia: hujus corpus ad annum usque millesimum quadragesimum, ut scribit Octavius Cajetanus in martyrologio Syracusano ad diem quintam Martii, in monasterio sanctæ Luciæ haud longe a Syracusis, ubi abbas præfuit, conditum, Georgius Maniaces Patricius a Michaele Pa-

Paphlagone Orientis Imperatore cum instructa classe in Siciliam contra Saracenos missus, in reditu Syracusis Byzantium deportavit una cum corporibus sancti Eutichii episcopi, ac Luciæ virginis & martyris. Hinc quum paullo post Cluniacum ejus caput credi possit quod sancti Hugonis tempore advectum fuerit, forte ideo nominis similitudine capti Cluniacenses monachi, pro illo sancti Clementis abbatis, alterum sancti Pontificis fuisse tradiderunt: nisi potius dicendum sit cum Tillemontio in suis memoriis historicis tomo secundo de sancto Clemente Pontifice articulo quinto, & cum viro erudito Baillerio in vitis Sanctorum tomo undecimo, sancti Clementis Ancyrani episcopi exstitisse caput, quod Byzantium Basilius Macedo, qui Clementi Ancyrano ibidem sacellum exstruxit, deferri curaverit.

II. De capite itidem sanctissimi Præsulis aut parte ejus aliqua adservata Kioviæ (sive Chioviæ, quæ alias Kiow ab incolis dicitur, urbs hodie regni Poloniæ in Ukrania) præfati Jaroslai Russorum regis, vel parentis ejus Wlodomiri regiæ urbis locuples testis est allatus codex ecclesiæ sancti Audomari apud Bollandianos in tomo secundo Martii, qui hæc habet: „ Retulit igitur idem rex „ Georgius Sclavus episcopo Catalaunensi, quod „ ipsemet quondam ibi perrexit, & inde secum „ abstulit capita sanctorum Clementis, & Phœbi

ejus

„ ejus discipuli, & posuit in civitate Chiw, ubi
„ honorifice venerantur, quæ etiam capita eidem
„ episcopo ostendit. Hoc & confirmat Albertus
Wiivkkojalowiuz in miscellaneis rerum ecclesiastici
status in magno ducatu Lituaniæ pag. 42.,
ubi notat ex Russorum annalibus Clementem,
quendam anno millesimo centesimo quadragesimosexto
electum Russiæ metropolitam, impositione
capitis sancti Clementis Papæ fuisse consecratum.
Plures etiam auctores de Neapolitana
urbe præclare meriti, nimirum Paullus Regius supra
laudatus in vita sancti Clementis, Cæsar Engenius
Caracciolus in Neapoli sacra, Michael Zapullus
in historia Neapolitana, aliique plures testantur
idemmet sancti Pontificis caput in ecclesia
sancti Augustini Neapolis reperiri: necnon sancti
Severini ecclesia, ut observat Franciscus de Magistris
in libro primo status ecclesiæ Neapolitanæ,
illud sibi etiam adsciscit. Item in basilica Sessoriana
sanctæ Crucis in Jerusalem aliam ejusdem capitis
partem inveniri ab Octavio Pancirolo, ceterisque
sacrarum Urbis rerum auctoribus admonitum est.
Magnam quoque ejus calvariæ partem Aquiscincti
adservari, ejusque crus in Andechs apud Gabrielem
Bucelinum in Thesauro reliquiarum post menologium
Benedictinum animadverti. At quidem plures
nominis conformitate deceptos sancti Clementis
Papæ & Martyris caput, vel ejus partem immerito
sibi

ſibi vendicare ſortaſſe dicendum videtur ; hinc enim veroſimile eſt ſenſim apud poſteros veterum more famam invaluiſſe totum pluribus in locis ſacrum caput reperiri.

III. Brachium inſuper ſancti Pontificis apud Gallos eſſe ſcribit Andreas Sauſſajus in martyrologio Gallicano ad diem viceſimamtertiam Novembris, idque Godefridus Henſchenius ad diem quintam Junii Bollandiani in vita ſancti Illidii Arvernenſis epiſcopi ex vetuſtiſſimo MS. breviario Illidiano confirmat. Enimvero quum ſanctus Illidius devotionis & obſequii ſtudio erga ſanctum Pontificem baſilicam ejus nomini apud Arvernas ædificaverit, audito annuo receſſus maris miraculo, aliqua corporis ejus particula decorare peroptavit. Quamobrem longiſſima peregrinatione Cherſonam profectus, ad ſanctiſſimi Martyris ſepulcrum ſuppliciter procumbens, humillimas preces ad eum effudit, ut ſibi aliquam ſacratiſſimi corporis partem ſuæ baſilicæ illuſtrandæ cauſſa concederet. Audiit Clemens orantis præſulis vota, & aperto ſepulcro, brachium dexterum protulit, eique ſecum illud auferendi copiam fecit : quod inde ſanctus epiſcopus hilari animo in ſuam baſilicam detulit, atque in prioris aræ medio, quam Martyri ſacraverat, modico extructo fornice inſtar ſacelli cujusdam decore perpetuo ſervandum indidit, ſigilloque ad munimentum roboravit. Antiquæ id con-

confirmant scripturæ, quas Daniel Papebrochius in notationibus ad hoc breviarium optime explicat, ubi ejus lectionem expendens, quæ ait, Arvernorum deinde episcopo Begone, brachium hinc sublatum fuisse, & conspicuum omnibus factum, recte observat sub eodem adhuc episcopo circa annum salutis nongentesimum nonagesimumtertium illud esse repertum, atque in alio sanctiori scrinio depositum: quod insuper Saussaii convenit testimonio, qui tradit, tunc destructa sancti Illidii basilica, aliam a Begone magnificentiori cultu instauratam fuisse. Idem quoque sancti Pontificis brachium (unum enim tantum ablatum fuisse a corpore auctores scripserunt) Coloniensis civitas sibi tribuit, ut notat Erhardus Winheim Carthusianus in sacrario Agrippinæ, quod in ecclesia sancti Cuniberti custodiri testatur: pro quo superius repetita faciunt, alterius scilicet a Pontifice Clementis brachium, vel saltem aliquam duntaxat ipsius partem, non vero totum in Coloniensi urbe asservari. Alium etiam a Pontifice Clementem esse puto, cujus corporis partem in ecclesia sancti Marcelli Parisiis conditam scribit Bailletus, nisi brachii, quod Arvernis colitur, dixerim partem.

IV. Inter ceteras demum sancti Clementis Papæ reliquias, quibus plures Catholici orbis ecclesiæ donatæ sunt, illas tantum memoriæ tradere lubet, quas meminit sanctus Gregorius Turonensis

sancto

sancto Aridio Lemovicinæ urbis presbytero delatas illustri miraculo insignes: has partem itidem fuisse brachii, quod sanctus præsul Illidius Chersona in Galliam asportaverat, conjectura mihi persuasum habui, quum ante ejus corporis translationem, quæ longe posterior fuit, sancti Clementis Papæ reliquiæ nullibi quam in eadem Gallia, ubi hoc miraculum contigit, apud Arvernas reperirentur. Refert itaque sanctus episcopus in libro primo de gloria martyrum capite tricesimoseptimo de aqua cujusdam fontis Lemovicinæ urbis reliquiarum sancti Clementis virtute divinitus reducta: „ Cujus „ unda (idem inquit) tam hortorum sata, quam „ agrorum culta vel fovebat accessu, vel impetu „ fœcundabat. Deducebatur etiam factis decur„ sibus per loca necessaria, ut ibi eum natura non „ dabat, studium provocaret. Et erat tam dul„ cibus vena exuberante fluentis, ut gaudere cer„ neres olus sive virgultum, si fuisset ab eodem „ irrigatum. Opitulabatur etiam in eo gratia „ majestatis divinæ, ut in quo fuisset fluentum „ emissum, velociter germina acciperent incre„ mentum. Quumque eum incolæ loci, quasi lu„ dum agentes per singula quæque loca deduce„ rent, insidiatoris, ut credo, invidia sub terra „ dehiscens, ac velut in stadiis duodecim in me„ dium paludis, ubi nullum prorsus posset opus „ efficere, fluctibus sparsis exoritur. Extemplo

„ omnium mentes timor obsedit, & novum quendam advenire regioni loci incolæ præstolantur
„ interitum, simulque & beneficium quod habere
„ consueverant, jugi fletu deplorant. Curriculum
„ igitur (prosequitur sanctus præsul) unius atque
„ alterius anni in hac ariditate pertransiit. Arescunt
„ siti loci illius omnia, quæ irrigare consueverat.
„ Tertio autem anno accidit, ut quidam
„ iter agens beati Clementis Martyris reliquias
„ exhiberet, quas Ardio ipsius urbis presbytero
„ viro in omni sanctitate religioso detulit. Ad
„ quem quum die noctuque vicini mœsti tenderent,
„ confisi de ejus oratione, quod si peteret
„ Dominum, fontem posset suo restituere loco,
„ ait: Eamus (inquit) dilectissimi, & si vera
„ sunt, quæ portitor noster asseruit, hæc esse
„ sancti Clementis Martyris pignora, nunc apparebit,
„ quum ejus fuerit virtus manifestata.
„ Tunc cum psallentio ad locum fontis accedit;
„ & dictis psalmis in oratione prosternitur; positisque
„ sanctis reliquiis in ipso fontis aditu petiit,
„ ut qui quondam in deserto damnatis ad secanda
„ marmora flumen irriguum patefecit, in hunc
„ locum aquas, quas prius pia indulserat clementia,
„ Clementis iterum intercessio revocaret.
„ Illico vena recurrit ad aditum magnas evomens
„ aquas, illumque, quem prius tenuerat alveum
„ decurrendo replevit, admirantibus populis, immensæ

„ mensæ gratiæ Domino referuntur, qui & Mar-
„ tyris virtutem prodidit, & fidelis sui orationem
„ implere dignatus est. Hæc Gregorius Turonensis: quibus satis superque sancti Papæ Clementis ingens admodum & inclyta virtus apparet, unde compertum est quam optime ejus insignis memoria olim omni laude fuerit exornata, atque inposterum quotidiano fidelium cultu affici mereatur.

Explicit Liber Primus.

DE BASILICA S. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS IN URBE ROMA.

Liber Secundus.

CAPUT PRIMUM.

Expenditur unde sancti CLEMENTIS *ædes usitatiori vocabulo* basilicæ *nuncupetur: hinc basilicæ a templo, & ab ecclesia discrimen paucis explicatur.*

I. QUUM hactenus de sancto Clemente Pontifice optimo & invictissimo Martyre, ejusque venerabili corpore satis verba fecerim, mox de veteri basilica in urbe Roma ejus nomini sacra, ubi insigni cultu requiescit, historico examine disputandum esse aggressi operis postulat

stulat argumentum. Siquæ enim sunt eximia ecclesiasticæ antiquitatis monumenta, quæ ob amplissimam Catholici orbis utilitatem ab invida temporis oblivione vindicari mereantur, id profecto veterum fidelium basilicis jure merito deberi arbitror; nihil quippe ad explorandos primævæ ecclesiæ mores, & sanctissima nostræ religionis instituta aptius esse potest, quam in earum sacra penetralia descendere, quæ nascentis fidei, ut ita dicam, fuere cunabula. Ut autem prodito Clementis nomine, ejus basilicæ, de qua differendum aggredior, veneranda dignitas innotesceret, opus fuit nonnulla, quæ de sancto Pontifice publicis literis commendata sunt, in superiori libro præmisisse; unde etiam omnium oculis perspectum fieret, quanti Romanæ ecclesiæ fideles sanctissimi sui Præsulis memoriam basilica ejus nomini ædificata fecerunt. Illam sane inter venerabiliora sacræ vetustatis monumenta sibi prædicat Roma, quæ hodierna quoque luce illius primæ ætatis verendam præfert imaginem. Verum aliqua primum de vocis hujus *basilicæ* significatione prælibare optimum duxi, ne forte hoc basilicæ nomen, ullum æquivocationis pariat periculum. Hujusmodi examine basilicæ a templo, & ab ecclesia discrimen prodibit, necnon compertum erit, unde sancti Clementis ædes *basilicæ* nomen usitatiori vocabulo referat.

Basi-

II. Basilica ante ævum Constantini Imperatoris, ut scribunt Thomas Dempsterus libro nono capite septimo antiquitatum Romanarum, & Sibrandus Tetardus Siccama de centumvirali judicio libro altero capite itidem altero, pulcherrimum erat ædificium columnis & simulacris instructum nedum ad exercenda judicia, verum etiam ad negotiatorum mercatorumque conventus accomodatum. Nomen autem ipsum græcum *regiam domum* sonat; ideo Isidorus in libro quintodecimo originum capite quarto: *Basilicæ prius* (inquit) *vocabantur regum habitacula, unde & nomen habent, nunc autem ideo basilicæ divina templa nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur.* Cum eo alii auctores consentiunt, inter quos Cardinalis Baronius in notationibus martyrologio ad diem quintam Augusti, subditque: *Hæc licet vera sint, tamen ejusmodi nomen una cum re e Gentilibus ad Christianos derivasse mihi magis probatur, nam basilicæ illæ Gentilium in Christianorum ecclesias aliquando commutabantur.* Hæc vero caussa, ex qua basilicæ nomen in templa transierit, quamvis ab insigni adeo auctore prolata, ut observat Alexander Donatus de urbe Roma libro quarto capite secundo, non satis ponderis meretur. Relicta enim in præsens controversia an basilicæ aliquando in templa conversæ fuerint, & omissa etiam hujus facti veritate,

tate, nihilominus non ideo prima illa Constantini templa existimo basilicæ nomen fuisse sortita. Sunt quippe a Constantino exstructa antequam Ethnicorum basilicæ sacras in ædes commutarentur, & toto passim terrarum orbe ecclesiæ ædificatæ sunt, vigentibus adhuc Gentilium superstitionibus & immutatis Deorum templis, intactisque opibus, quas prisci in ea congesserant, ut luculenter ex epistola vicesimaprima divi Ambrosii notat idem Cardinalis Baronius ad annum trecentesimum tricesimumquartum. Multo magis tamen intacta etiam superfuerunt alia ædificia publicis reipublicæ muneribus obeundis erecta. Præterea mos veteri illo Christianorum ævo invaluit, ut ædes sacræ non minus apud Latinos quam Græcos templa & basilicæ nuncuparentur: quod manifestum est legenti scriptores ecclesiasticos & concilia, a quibus promiscue ecclesiæ, templi, & basilicæ nomina usurpantur; immo ipsa sacella interdum basilicæ dicta sunt, ut basilica sancti Laurentii ac sancti Theodori, quam sæpenumero in vitis Pontificum Anastasii appellatam pro sacello Sancta sanctorum in palatio Lateranensi observamus. Similiter in eodem Patriarchio, ut tradit Nicolaus Alemannus de Lateranensibus parietinis capite quinto, ædes omnes basilicæ nomine censebantur, quæ religioso cultui aut ecclesiasticarum cæremoniarum exercitio patebant.

Prima

III. Prima tamen & augustissima illa Constantini templa cur dicta sint potius & frequentiori vocabulo *basilicæ*, equidem ut alios sacrarum rerum scriptores audiendos arbitror, ita & caussam nominis in formam ædificii refero. Templa quippe illa insigniora, Lateranense, Vaticanum; & sancti Paulli non dissimilia veterum basilicarum fuerunt, immo eo prorsus modo ac partibus extructa, quibus ipsæ basilicæ extruebantur. Fuit nimirum basilica, ut docent Vitruvius libro primo capite itidem primo, & Leo Baptista Albertus libro septimo capite decimoquarto, ædificium quod duplici aut quadruplici columnarum ordine medianam testudinem, hoc est mediam navim simplici aut duplici hinc atque inde porticu cingebat. Curvabatur in summo vel pari vel minore semicirculi fluxu, & *tribunalis* nomine vocabatur. Ibi, ut notat Dempsterus eodem libro nono capite octavo, habebantur judicia, ubi suggestus erat editior, unde magistratus ab omnibus conspici poterant, & in quo sella curulis jurisdictionis insigne eminebat. Minoribus autem basilicis simplices tantum porticus ad latera mediæ testudinis erigebantur; atque laxiores nobilioresque binis hinc atque inde suffultæ erant porticibus, inque harum capite transversam ambulationem secundum tribunalia habebant ei consimilem, quæ nunc *crucis* nomen vulgo obtinere solet.

IV. Hoc pacto circumscripta basilica, non magnopere quærendum videtur, cur prima illa templa *basilicæ* vocabulo dicta sint: non enim alia quam vera germanaque basilicarum veterum forma constructa fuere, nec modo Christiani, sed etiam Ethnici quum sacras illas ædes spectabant, basilicas sibi intueri videbantur. Prisci nanque Christiani in ædificiis condendis Gentilium imitatores, ut tradit Johannes Ciampinus in veterum monimentorum tomo primo capite primo, ad eorum similitudinem sacra templa erigebant, vel ab Ethnicis jam erecta, ab omni profanæ superstitionis labe expiata divino cultui dicabant, cujus præ aliis testis est insignis Christianus poeta Ausonius in sua gratiarum actione pro consulatu ad Gratianum Imperatorem; ideoque a primis illis & augustalibus basilicis deinceps emanavit, ut omnes sacræ ædes a Christianis *basilicæ* vocarentur. Hinc hodieque basilicæ nomen retinent urbis antiquiora templa, quia Ethnicorum formam in eorum constructione a priscis fidelibus usurpatam adhuc magna ex parte præseferunt. Singulas itaque veterum basilicarum partes huic nostræ sancti Clementis consentaneas esse facili negotio cognoscimus; unde primum in apertum est quo jure basilicæ referat nomen. Intuemur enim in basilica sancti Clementis (sicut & in antiquis Urbis aliis) oblongam in medio ambulationem simplicibus hinc inde ad latera alarum instar

instar stipatam porticibus, quæ marmoreis dorici ordinis columnis incumbunt: deinde tribunal in summo loco hemicycli forma mediæ testudini sive ambulationi respondens, ubi cathedra Pontificalis editior erigitur. Tribunalis nomen adhuc apud Romanos viget, qui sinuatam templi apsidem derivata voce *tribunam* vocant.

V. Nonnullæ itidem sacræ veterum ædes aliter basilicæ appellatæ sunt, non vero ecclesiæ sive templa. Olim quippe Christiani illas martyribus, qui pro Christo passi fuerant, in eorum memoriam erigere consueverunt, quas idcirco *memorias* seu *basilicas* nuncupabant, etsi juxta basilicarum formam exstructæ non essent. Hujuscemodi vocabulo satis compertum erat discrimen primum sacrarum ædium, quæ *ecclesiæ* dictæ sunt, ubi, ut scribit Cardinalis Bellarminus libro tertio capite quarto de cultu Sanctorum tomo primo, sacramentorum administrationis, necnon verbi Dei prædicationis exercitium tantum patere solet; deinde etiam templorum, quæ sacrificii duntaxat oblationi exercendæ conditæ sunt. Basilicas enim apud priscos fideles nequaquam sacris hujusmodi ministeriis exstruendi mos erat, nanque, ut ex divo Isidoro constat, regum palatia dicebantur quoque basilicæ, quarum nomen postea martyrum ædibus commune evasit: verum insigniori eorundem sepulcrorum ornamento, ibique reconditas colentium reliquias commo-

ditati erigebantur; quod sane liquet ex pluribus conciliorum, sanctorumque patrum testimoniis, & præsertim ex concilio Gangrensi canone vicesimo, atque ex epistola ibidem ad episcopos Armeniæ, necnon ex concilio Cabilonensi canone ultimo.

VI. Sanctus Augustinus in libro primo contra Maximum, & in sermone tertio contra Arianos luculenter testatur templi erectionem cultum esse latriæ soli Deo debitum: idemque libro octavo de civitate Dei templum cum altari & sacrificio conjungit, docens cui debetur templum, deberi altare & sacrificium, & cui debetur altare & sacrificium, deberi similiter & templum; necnon memorias recte martyribus ædificari. Verum præcipue locum libri vicesimisecundi item de civitate Dei digniorem meretur notam, ubi sanctus doctor: *Nos* (ait) *martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus*; & nusquam vocat Augustinus templa martyrum, sed passim basilicas martyrum, ac memorias martyrum, quod etiam apud plures alios Latinos patres, præcipue apud Hieronymum in libro contra Vigilantium, & apud Paullinum de natali sancti Felicis cuiquam licet observare.

VII. Ex his deinde infertur eorum omnium explicatio, quæ superius tradita sunt, nempe morem

rem invaluisse apud Christianos non minus Græcos quam Latinos ut ædes sacræ templa, & basilicæ promiscue dicerentur, quin & ecclesiæ, quia scilicet diversa nomina ex multiplici fine, quo exstruebantur, obtinuerunt. Attamen usuvenit recentioribus etiam sæculis in stricto sensu basilicæ vocem non usurpari, illam idcirco tum templis quum ecclesiis præsertim amplioribus tribuendo, licet nonnisi martyrum ædibus frequentius conveniat: idque potissimum apud fideles invaluit, quia illas plerunque, ut tradunt antiqui patres Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus penes Johannem Bonam cardinalem in libro primo rerum liturgicarum capite undevicesimo, in locis ædificabant, ubi aliqua martyris memoria recolebatur. Religiosæ hujus consuetudinis exhibet documentum nostra sancti Clementis basilica, quam ibi ædificarunt, ubi vivens beatissimus Pontifex habitaverat, ejusque fuerat paterna domus. Et apud sanctos patres, ac vetera ecclesiæ concilia tantæ æstimationis & ponderis fuit sacer hujusmodi priscorum fidelium usus, ut ecclesiastica sanctione ejus restitutio decreta sit in concilio Carthaginensi quinto canone decimoquarto, ubi sancta synodus vetat, ne ulli martyri ædes ædificetur, nisi in loco sit *aut corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine tradatur.* Hæc autem veterum consue-

suetudo, aut Carthaginensis concilii decretum intelligendum non est, quin valeant sacræ ædes in alicujus martyris cultum ædificari absque eo quod in loco ulla martyris fuerit memoria, sicut passim recentioribus sæculis commune evasit; nam sanctissimæ Virgini exstructas ædes *basilicæ* etiam nomine antiqui dixerunt.

VIII. Exinde perspicuum est insignem hanc sancti Clementis ædem basilicæ nomen mereri, quæ in loco, ubi vivens degerat sanctus Pontifex erecta fuit, atque ubi deinde venerabiles ejus reliquiæ fuerunt depositæ: atque illius pridem vetustissimi patres ecclesiæ, nempe Zosimus Papa in epistola tertia ad Africanos, & Gregorius magnus in titulis homiliarum tricesimætertiæ, & tricesimæoctavæ super euangelia, aliique basilicæ vocabulo meminerunt. Nec obstat auctoritas eorundem, aliorumque sanctorum patrum, qui ei nonnunquam etiam *ecclesiæ* tribuunt nomen: illa namque juxta plures, ob quas ædificata fuit, caussas, plures quoque sortita est appellationes: ut enim veterum formam præsefert, & memoriæ martyris sacra est, recte *basilica* dicitur: ut autem verbi Dei prædicationi ac sacramentorum ministerio inservit, quum ex vetustioribus Urbis titulis sit, *ecclesia* optime nuncupatur; unde non est quin hodie una eademque sacra ædes simul vocari possit basilica, templum, & ecclesia.

CA-

CAPUT II.

De situ basilicæ sancti Clementis, cujus adjacentia aliquantulum examinantur.

EXPLORATO jam nomine, quod basilicæ sancti Clementis debetur, antequam in ejus penetralia descendamus, paullo in exterioribus immorari lubet, & aliquid de situ, ejusque antiquitate disceptare. Communis & constans opinio est apud auctores in Cœlio monte sitam esse sancti Clementis basilicam, ac proinde in regione secunda, quam a Cœlio monte Cœlimontanam appellant. Montem Cœlium a Cœlio Vibenna Hetruscorum duce nomen duxisse ferunt Urbis scriptores, idque testatur in suis antiquitatibus illustris auctor Pyrrhus Ligorius civis Neapolitanus picturæ & architecturæ præstantia notissimus, cujus opera vigintiquatuor in tomos distributa in celeberrima Otthoboniana bibliotheca manu exarata servantur; eorumque copiam mihi exhibuit ea, qua solet comitate ac facilitate vir illustrissimus atque inter nostri ævi

eru-

eruditos insignis Franciscus Blanchinus maximi Pontificis CLEMENTIS XI. ab honore sacri cubiculi, & ob vulgatos codices reipublicæ literariæ admodum acceptus. Montis hujus forma oblonga est & angusta, atque ab amphitheatro Flavio ad septentrionale latus versus ortum solis per viam, quæ ab ædibus sancti Clementis, & sanctorum Petri & Marcellini ad portam, quam vocant *majorem*, ducit, sinuoso flexu proserpens, inter sancti Johannis Lateranensis, & sanctæ Crucis in Jerusalem basilicas finitur. Versus occidentem cum ipsis mœnibus usque eo ubi *Marrana* rivulus urbem intrat, pergens, cum hoc ipso sensim ad Aventinum procedit, donec ad sancti Gregorii ædem e regione Palatini montis deficiat. Hac Cœlii descriptione, quam celebris Romanæ antiquitatis cultor Famianus Nardinus habet libro secundo capite item secundo Romæ veteris, a Johanne Georgio Grævio in tomo quarto thesauri antiquitatum Romanarum iterum in lucem editæ & a Jacobo Tollio ex Italica in linguam latinam translatæ satis constat summo ejus loco ad ejusdemque radices positam esse sancti Clementis basilicam.

II. Quod autem regionem secundam attinet, illa fuit, ut laudatus Nardinus observat libro tertio capite quinto, vel conjuncta vel saltem proxima primæ, quam *Capenam* vocant: intra muros enim portæ Capenæ, Latinæque sumebat initium, a qua

a qua limitem secundum muros ad sancti Johannis portam, & aliquanto etiam ulterius portendit; ubi intra Urbis ambitum Cœlius cum colle sanctæ Crucis in Jerusalem confinis, regionem hanc a quinta dividebat. Alterum ejus regionis latus boreale quod spectat, præfata via, quæ a porta majore recta ducit ad sanctorum Petri & Marcellini, & sancti Clementis basilicas *Labicana* dicta, eo quod Labicum versus hodie italice *Valmontone* dirigatur, a tertia regione separabat, sicut adhuc eademmet via colles illos duos disjungit: non tamen ultra versus amphitheatrum Titi, aut non multum ultra sancti Clementis basilicam procurrebat, quum *caput Suburræ*, quod isthic fuit, & *Ceriolensis*, necnon & ipsum amphitheatrum partes tertiæ fuerint regionis. Finiebatur ergo illa planitie regionis tertiæ, & tramitem Cœlii sequuta sub ædem sanctorum martyrum Johannis & Paulli in rupes illas flectebatur, donec ad angulum ejus accedens, rursus ad lævam versus sancti Gregorii Papæ ecclesiam in clivo Scauri sitam detorquebatur. Hic omne illud spatium inter Cœlium, & Palatinum montem intermedium quartæ regionis forte fuit, ut e flexu nimis angusto, quem aliter ipsa ibi fecisset, laudatus Nardinus conjectat. Ab æde porro sancti Gregorii admœnia Urbis usque Cœlimontana regio una cum ipso monte proxime portam Latinam progrediebatur.

Ee Ha-

III. Hactenus scripta palam faciunt primo ibidem loci paullo ultra sancti Clementis basilicam *Suburræ caput* fuisse in regione tertia, etsi reliqua deinde Suburræ pars secundam regionem occupaverit. Secundæ hujus regionis pars fuit vetus Suburra inter antiquos Urbis vicos, mercium varii generis, deliciarum, quin & lupanarium ferax. Tota scilicet illa planities inter Cœlium & Exquilias a sanctorum Petri & Marcellini basilica usque ad amphitheatrum Titi *Suburra* appellata fuit regioni secundæ Cœlimontanæ attributa: ita tamen quod ejus extrema pars, sicuti monitum est, ad regionem tertiam Isidis & Serapidis dictam pertinuerit. Plura de veteri Suburra nuper diserte scripsit in sua de sanctorum Marcellini & Petri basilicis historica dissertatione vir a probitate & eruditione commendatissimus Jacobus Laderchius congregationis Oratorii Urbis presbyter Faventiæ nostræ patricius, & Annalium ecclesiasticorum continuator, qui suæ ac singillatim parte altera capite septimo ejus antiquitatem & situm dispungit.

IV. Itidem in apertum est apud sancti Clementis basilicam *Ceriolensem* olim *Carinarum* partem fuisse, quibus ut Ceriolensis conjungeretur, quum quartæ fuerint regionis, necesse est ab una parte omnem illam amphitheatri planitiem occupasse usque ad caput quartæ regionis, nempe ad hortos

hortos usque sanctæ Mariæ Novæ & hortos Pios; ab altera vero usque ad sancti Clementis basilicam, ubi Suburra & *Tabernola* initium habebant. Huc facit illud Floravantis Martinelli in sua Roma sacra, qui adstruit in monte Cœlio juxta Carinas exstructam esse sancto Clementi basilicam. Carinæ olim antiquæ Urbis vicus, forte ita dictæ quod convexitates illæ inter vicinos sibi colles Cœlium, Exquilinum, Capitolinum, & Palatinum carinarum, hoc est inversarum navium speciem habuerint, Cœlio conjunctæ erant, & nedum in sola tertia regione fuerunt, ut putavit Onuphrius Panvinius in descriptione Urbis ad regionem tertiam, sed maxima earum pars ad quartam spectavit, ut tradit Nardinus eodem libro capite decimoquarto, ubi Ceriolensem tantum juxta sancti Clementis basilicam in tertia regione constituit. Planities ergo illa valles continebat Palatino subjectas inter septentrionem & orientem solem, quæ deinceps a cultoribus occupatæ, mœnibusque Urbis inclusæ nomen Carinis dederunt.

V. Demum liquet ubi Suburræ initium, ibi & Tabernolam incepisse. Tabernola vicus fuit ceteris magnitudine haud impar, cujus unum latus ad Cœlium ducebat, alterum ad Exquilias: unde sequitur illam in planitie inter amphitheatrum Titi & basilicam sancti Clementis apud Suburræ caput situm habuisse, quo in loco Martialis libro secun-

do, epigrammate decimoseptimo flagella ad cædendos servos venalia fuisse testatur. Hanc tertiæ regioni nonnulli adscribunt auctores, verum Nardinus ibidem capite sexto recte admonet in principio Suburræ Tabernolam regioni potius tertiæ quam secundæ adscitam esse, ubi autem clivum Cœlii montis attingebat, procul dubio ad secundam spectasse. Omnia veteris hujus situs discrimina solius Labicanæ viæ tramite diluuntur, quæ regionis secundæ boreale latus a tertia modico intervallo disjungit. Enimvero quæ lateri sancti Clementis basilicæ, & sanctorum Marcellini & Petri adjacent, ad secundam pertingunt; quæ deinde parti ecclesiæ sancti Matthæi in Merulana, ad tertiam attinent regionem. Antiquo hujus perinsignis ædis titulo diu præfuit Franciscus Cardinalis Nerlius Vaticanæ basilicæ archipresbyter æque doctrina ac purpura eminentissimus, qui etsi Cardinalium presbyterorum ordinis prior ad titulum sancti Laurentii in Lucina gradum fecerit, tamen prædilectæ ecclesiæ, de qua egregie meritus est, diuturno adhuc consulit ornamento, eamque ingenti amore prosequitur.

VI. Quod tantum de situ basilicæ sancti Clementis quicquam involvit obscuritatis, est duplex Anastasii Bibliothecarii textus in Vitis Pontificum, quorum prior in Stephano III. hæc habet: „ Restauravit basilicam beati Laurentii supra sanctum

„ ctum Clementem in regione tertia situm: alter in Hadriano I.: „ Titulum vero beati Clementis, „ quod etiam casurum erat, & in ruinis positum „ regionis tertiæ noviter fecit: qui duo Anastasii textus sancti Clementis basilicam in regione tertia locare videntur, ac proinde hactenus præmissa destruere. Verum Nardinus eodem libro secundo capite quarto textus explicat Anastasii testimonio Anastasii, ubi antiquum situm, & priscos septem in Urbe ecclesiasticarum regionum limites designat; (quæ Urbis divisio quum longe posterior fuerit, obscurior est, utpote obsoleta, quam ethnica seu civilis in quatuordecim regiones hactenus observata): *Quintæ regioni* (ait Nardinus) *tertiam fuisse conjunctam Anastasius in Hadriano indicat, ecclesiam sancti Clementis dicens in ruinis tertiæ regionis fuisse: Titulum vero beati Clementis, quod etiam casurum erat, & in ruinis positum regionis tertiæ &c., quæ ecclesia ad limitem est secundæ, verum sub regione tertia, circa quam illius esse poterant ruinæ.* Hinc primo explicatio posterioris Anastasii textus eruitur etsi de civili regione intelligatur; nimirum quod sancti Clementis basilica fuerit in regione quidem secunda, sed ad ejus limites sub regione tertia: ac propterea credibile est basilicæ ruinas, quarum meminit Anastasius, tertiam attigisse regionem, seu in illius partem procubuisse.

Quo

VII. Quo ad superiorem textum faciliori opera obscuritatis periculum declinatur: ait nanque Anastasius: „ Restauravit basilicam beati Laurentii supra sanctum Clementem regione tertia „ sitam; fateor sane *beati Laurentii basilicam* super illam sancti Clementis *sitam esse*, verum ibi *regionem tertiam* pro regione ecclesiastica, ut Nardinus animadvertit, fateor etiam intelligendam: nemo enim ignorat Romanorum, vel qui Urbis callet antiquitates, sancti Laurentii basilicam in agro Verrano, de qua scribit Anastasius, in regione quinta civili positam esse; quo scilicet regionis discrimine uterque Anastasii textus cum opinione nostra optime conciliatur. Cetera de antiquo situ basilicæ non suppetunt monumenta, quid scilicet Ethnicorum sæculis certo ibi fuerit, quæve ædificia olim fuerint exstructa. Auctores tantum conjectura augurati sunt in eodemmet basilicæ loco sancti Clementis paternam domum fuisse, Anastasii testimonio fortasse inhærentes, qui sanctum Clementem in regione secunda Cœlii montis ortum habuisse tradit, vel monumentis Vaticanis apud Oldoinum in libro de Clementibus animadversione altera ad vitam sancti Clementis Papæ assentientes, ubi *Faustini domus* sancti Clementis patris *ad radices Cœlii montis, in qua natus est Clemens* collocatur: quum ideo sancti Clementis basilica in secunda regione, summo loco Cœlii montis ad ejusque radices

dices situm habeat, ejusdem proinde parentem domum ibidem olim fuisse plerique auctorum scripserunt, ut inter ceteros notant Lucius Faunus, Andreas Fulvius, Ugonius, & Pancirolus, qui vel sacram vel profanam Urbis antiquitatem illustrarunt. De sacris aliis aedibus, quae basilicae sancti Clementis circumadjacent, nimirum de oratorio sanctae Mariae Imperatricis in via nova, quam Sixtus V. stravit ad Lateranum, de sanctorum quatuor Coronatorum ecclesia, necnon de alia sanctorum Petri & Marcellini, cui titularem Franciscum Pignatellum Neapolitanum archiepiscopum egregiae virtutis Cardinalem Innocentii XII. aeternae memoriae Pontificis consanguineum CLEMENS XI. Pontificum optimus praefecit, quidque ibi fuerit vetustatis insigne, ne alienam messem invadere videar, aliorum differendi esto studium.

CA-

CAPUT III.

De antiquitate basilicæ sancti Clementis.

I. Fundationis primævæ sive dedicationis basilicæ sancti Clementis nulla licet memoria apud rerum antiquarum Urbis scriptores prodita sit, tamen non est qui non auguretur ex longo famæ, & multiplici auctorum suffragio asseri posse saltem ibidem loci sancti Clementis paternam domum fuisse, illamque deinde in sacram ædem commigrasse. Quia vero antiquissimis, quæ de illa reperi testimoniis, longe adhuc vetustiorem arbitror sancti Clementis basilicam, ejus ideo antiquitatem altius explorare aggredior. Itaque præmittendum duxi veteris ecclesiæ fideles, quum adversus illam Ethnici Imperatores debacchari cœperunt, & Martyrum sanguine Catholicam confirmare fidem, eorum nomini in charitatis devotique animi argumentum super corpora quædam erigere monumenta consuevisse, quæ idcirco, ut observat Cardinalis Baronius ad annum quingentesimumseptimum, memorias martyrum, sive martyria appellabant. Primo omnium beato

Petro

Petro apostolorum principi Anacletum Pontificem, qui sancto Clementi, nullo intermedio, successit, *in Vaticano memoriam construxisse* Anastasius in ejus vita testatur. Aliæ itidem plures martyrum memoriæ, Evaristo Pontifice, qui deinde post Anacletum sedit, jam conditæ exstabant, quum nempe Evaristus *titulos in Urbe divisserit*, qui erant vel ædes memoriis martyrum sacræ, vel domus divino cultui mancipatæ. Necnon Fabiani Papæ sæculo circa annum ducentesimum quadragesimumsecundum multas ædes sanctis martyribus ædificatas esse indicat quoque Anastasius, & scribit *multa ædificia in cœmeteriis Romæ constituta fuisse*; martyrum nanque sepulcra, qui in cryptis arenariis subtus terram latebant, in quibus furente tantum tyrannorum gladio fin axes a fidelibus celebrari solebant, erectis desuper ædificiis, ut ibidem explicat Cardinalis Baronius, condecorata fuerunt. Idipsum etiam servatum habemus paullo post Cornelii Pontificis ævo, anno scilicet ducentesimo quinquagesimoquarto, qui in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium libro sexto capite tricesimoquinto, Romæ quadraginta & sex sacras ædes adnumerat, totidemque Optatus Milevitanus libro altero contra Parmenianum recenset, ubi ait quadraginta & ultra exstructas fuisse Christianorum usui in Urbe basilicas: quamobrem judicare quisquam potest, sacras ædes martyribus ædificandi

Ff con-

consuetudinem propius ad Constantini ætatem magis invaluisse.

II. Hinc igitur de antiquitate basilicæ sancti Clementis aliqua in medium educi valet conjectura. Quum enim palam sit sancti Clementis basilicam ejus fuisse paternam domum, credibile inde est post relatam a beatissimo Pontifice martyrii palmam, Christianos Romæ incolas, audito ejus martyrio, quia super corpus memoriam erigere haud poterant, ejus domum in obsequium fortissimi martyris frequenter invisere ac venerari, eamque deinde ut sacram ædem recolere consuevisse. Plures aliæ hujus generis Romæ conspiciuntur martyrum ædes ipsomet in loco ædificatæ, ubi antea paternæ fuerant domus, quas mox consummato martyrio pii fideles in sacrum usum eorum nomini converterunt. Ejusmodi sunt basilicæ sanctæ Pudentianæ, sanctæ Bibianæ, sanctæ Susannæ, sanctæ Cæciliæ, sanctæ Sabinæ, & aliæ complures, quas forte memoriæ martyrum sacras fecerunt, dum adhuc corpora in cryptis sepulta Ethnicis ignorata latebant, donec Christianorum principum ævo reperta & basilicis illustrata publici cultus obsequio patuerunt. Siquas enim prius extitisse dicendum sit, jam, ut testatur Eusebius libro octavo capite primo, & tradit Cardinalis Baronius ad annum quingentesimumseptimum, Diocletiani & Maximiani edicto solo æquatæ fuissent. Jure itaque

optimo

optimo fatendum est antiquos primævæ ecclesiæ fideles, sive Romanos Pontifices, & fortasse Anacletum, sancti Clementis paternam domum in memoriam tanti Martyris atque ecclesiæ Præsulis de Catholica religione multis nominibus meriti sacrorum usui addixisse, ibique de more sacros celebrasse conventus, necnon illuc ad divina exercenda mysteria confluxisse; deinceps alios, quando licuit, in formam basilicæ insigniorem ædem superædificasse.

III. Scio quidem esse inter recentiores Ugonium, Pancirolum, & alios, qui scribunt hanc ædem ab ipso sancto Clemente in sacrum usum conversam fuisse, & divino obsequio mancipatam; quo vero testimonio id asseruerint, mihi obscurum est: nisi forsan horum auctorum mens fuerit, sanctum Clementem, dum Romæ Pontificatum administravit, in propria domo divinum obtulisse sacrificium, atque etiam, persecutione potissimum debacchante, ad sacras synaxes excepisse fideles; quo proinde firmum ac ratum sit domum suam sanctum Pontificem sacram fecisse. Id autem si veritatem sapiat, esse potuit, ut absente atque ultra Pontum sanctissimo Præsule exsulante, seu jam consummato martyrio, fideles Romani susceptum pietatis exercitium prosequuti fuissent ad beatissimi Clementis ædem accedentes, eandemque in egregii Martyris cultum primo Clementis nomine nuncupassent;

Ff ij donec

donec exstincta sub Constantino magno Ethnicorum tyrannide, inter illustria martyribus exstructa ædificia etiam illa ampliori basilicæ forma deinde potuit condecorari. Neque hæc prorsus fide indigna sunt, nam hodierna sancti Clementis basilica eam præsefert faciem, nobilioribus immo absolutam monumentis, quæ in iis intuemur basilicis Constantini sæculo ædificatis: has enim veterum speciem imitatas, quæ Diocletiani & Maximiani decreto prostratæ sunt, auguratur Baronius; quapropter insignem hanc sancti Clementis ecclesiam eodem etiam Constantini ævo in formam basilicæ conditam fuisse putavi. Huic opinioni satis congruit proximum sancti Hieronymi testimonium in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum de Clemente Pontifice, unde conjici potest ante sancti Hieronymi ætatem sancti Clementis ecclesiæ vetustas: *Nominis ejus* (inquit) *memoriam usque hodie Romæ exstructa ecclesia custodit.*

CAPUT IV.

De judicio Celestii habito in basilica sancti Clementis.

I. **B**Asilicam sancti Clementis nedum ejus commendat antiquitas, sed etiam eximia ipsius dignitas perinsignibus monumentis illustratur. Ea itaque ut ordine chronologico proferamus, opus est Zosimi Papæ ad Africanos episcopos epistolam tertiam depromere apud Philippum Labbeum in tomo secundo Conciliorum inter decreta & epistolas Zosimi Papæ vulgatam, cujus initium: *Magni pondus examinis magna desiderat &c.*, ubi sanctus Pontifex illis enunciat nefarii Celestii Pelagii discipuli judicium in hac ipsa basilica anno quadringentesimo decimoseptimo habitum, scribens: „ Celestius presbyter „ nostro se ingessit examini expetens ea, quæ de „ se apostolicæ Sedi, aliter quam oportuit, essent „ inculcata, purgari. Et licet multæ occupationes „ majoribus vinculis ecclesiasticorum negotiorum „ curam nostram sollicitudinemque distraherent, „ tamen ne paternitatis vestræ de adventu ac dif-

cus-

„ cussione prædicti diutius penderet exspectatio,
„ posthabitis omnibus *resedimus in sancti Clementis basilica*, qui imbutus beati Petri apostoli
„ disciplinis tali magistro veteres emendasset errores, ratosque profectus habuisset, ut fidem,
„ quam didicerat & docuerat, etiam martyrio
„ consecraret, scilicet ut ad salutiferam castigationem tanti sacerdotis auctoritas præsenti cognitioni esset exemplo. Omnia igitur quæ prius
„ fuerant acta discussimus, sicut gestorum huic epistolæ cohærentium instructione discetur. Intromisso Celestio libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari: nec hoc contenti, utrum hæc,
„ quæ scripsisset corde loqueretur, sæpenumero exploravimus, quum de occultis animorum solius
„ Dei nostri possit esse judicium, cui non tantum
„ cogitata, sed cogitanda jam præsto sunt &c.
Hæc Zosimus ad Africanos. *Quibus plane intelligis* (ait Baronius ad annum quadringentesimum decimumquintum) *Celestium hominem versipellem involventem cuncta mendaciis, quo Catholicus valeret existimari; nam quod ad dogmata pertinet, qualis revera esset, excussa larua a Zosimo postea detectus est, ostensusque sceleratissimus hæreticorum*.

II. Magnum quidem est nostræ basilicæ dignitatis argumentum in ipsa Zosimum Pontificem cum omnibus simul Romanæ ecclesiæ ordinibus,

nibus, episcopis, presbyteris, & diaconis, omnique sacro apparatu, ut vetus ejus temporis postulavit consuetudo, judicium adeo insigne habuisse, atque in illo hæresiarchæ Celestii caussam cognovisse. Celestius enim postquam cum ipso magistro Pelagio a sancto Innocentio Pontifice ecclesiastica communione privatus atque anathemate perculsus fuit, statim ambo, ut rebus suis consulerent, Pontificem adeundum sibi esse decreverunt. Horum præ aliis fuerunt errores, nimirum: *Posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei per solum liberum arbitrium absque auxilio divinæ gratiæ facile custodire: infantem non baptizatum morte præreptum merito perire non posse, quum sine peccato nascatur: divitem non posse ingredi regnum Dei, nisi omnia sua vendiderit*; atque alia plura mordicus & nequiter tuebantur, quæ late congerit Cardinalis Baronius ad annum quadrigentesimum undecimum, atque observat Henricus Norisius magni nominis ac claræ memoriæ cardinalis & apostolicæ Sedis bibliothecarius in Historia Pelagiana capite duodecimo.

III. Itaque sequuta contra illos Innocentii sententia, visum est Pelagium literis, Celestium coram Romæ caussam dicere, quare Pelagius literas ad Innocentium dedit, quibus injuste sibi infamiæ notam inuri questus, Erotem ac Lazarum, Gallicanos episcopos uti publicos calumniatores accu-

accusabat: atque ut ea facilius Romano Pontifici suaderet, libellum suæ fidei, quem *Symbolum* dixit, ad eum transmisit. Innocentio autem ab humanis sublato, Celestius Romam illico advolavit, & contexto inde pariter suæ fidei libello, Zosimo Pontifici Innocentii in locum suffecto caussam agnoscenti exhibuit, eumque in basilica sancti Clementis, ubi Zosimus judex sedebat, coram Pontifice recitavit. Hinc Zosimus Celestium in judicio vocatum quum promptam obedientiam Innocentii literis, quibus damnatus fuerat, profiteretur, novæ damnationis reum non agnovit; sed ne illum absolvendum statim duceret, judicium utriusque synodi Carthaginensis & Milevitanæ in hac ipsa caussa nuper celebratæ remorabatur, quare gesta omnia in hoc judicio præfata epistola ad Africanos episcopos data per Basiliscum subdiaconum renunciavit. Hæc de judicio Celestii, qui lusorie hæreseos, quam profitebatur, errores in basilica sancti Clementis damnavit.

CA-

CAPUT V.

De titulo sancti Clementis, ejusque antiquitate.

I. MONUMENTUM praeterea aeque illustre ac antiquum de basilica sancti Clementis exstat apud sanctum Leonem Magnum Pontificem in epistola juxta Quesnelli editionem vicesimaquarta ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum, data idibus Junii Asterio & Protogene Coss. circa annum salutis quadringentesimum undequinquagesimum, ubi meminit sanctus Pontifex cujusdam *Renati presbyteri sancti Clementis*, quem deinde ad concilium Ephesinum secundum legavit. Educi hinc merito potest sancti Clementis basilicam longe ante sancti Leonis aetatem titulo decoratam ac Romanae ecclesiae presbytero in titulum addictam fuisse: quin immo vehemens suppetit conjectura, nedum inter antiquiores vigintiquinque titulos, quos in Urbe sanctus Marcellus Pontifex, teste Anastasio, constituit, fuisse adnumeratam, verum etiam inter illos, quos primum Evaristus divisit.

Ad hanc firmandam conjecturam, & ad hujus tituli suadendam antiquitatem huc spectat quicquid superiori capite tertio disputatum est, unde sancti Clementis paternam domum primo ecclesiæ sæculo in sacram ædem conversam fuisse probavimus.

II. Initio siquidem Romanæ ecclesiæ, ut notat Franciscus Florentinius in vetusto martyrologio ad diem primam Augusti exercitatione undecima, vix alios erectos fuisse titulos constat, quam in opus religionis, vel ad sacram ædem ædificandam, vel ad conventum in signata domo celebrandum, vel ad alicujus sancti martyris memoriam. Memoriæ enim, quam sanctus Anacletus apostolorum principi erexit in Vaticano, fere omnes sacrarum rerum auctores *tituli* tribuunt nomen. His consentit Christianus Poeta Aurelius Prudentius in libro Peristephonon hymno duodecimo, qui sepulcrum sancti Paulli in via Ostiensi *titulum* vocat:

> *Parte alia titulum Paulli*
> *Via servat Ostiensis.*

Atque etiam communiori voce titulos nuncupatas fuisse easdem martyrum memorias, docet idem Prudentius in hymno quinto, ubi tyrannum sancti Vincentii ossa abolere comminantem sic refert:

Ne

Ne plebs gregalis excolat,
Titulumque figat martyris.

Non est itaque ex hoc capite ambigendum, quin primævo ecclesiæ sæculo tituli nomen sancti Clementis ædes obtinuerit, quam ejus memoriæ sacram fuisse præmissa confirmant.

III. Grassante autem Ethnicorum tyrannide tituli domus erant a ditioribus Christianis ad pauperum fidelium perfugium, sacrorumque conventuum celebrationem signatæ, ut satis compertum facit epistola prima sancti Pii Pontificis ad Justum Viennensem episcopum: „ Soror nostra „ Euprepia titulum domus suæ adsignavit, ubi „ nunc cum pauperibus nostris commorantes mis„ sas agimus: necnon testatur Anastasius in vita sancti Marcelli: „ Lucina (ait) domum suam „ nomine beati Marcelli in titulum dedicavit, in „ qua diu noctuque hymnis & orationibus Domi„ no Jesu Christo confitebatur. Cogebantur enim bacchante tyrannorum sævitia fideles res suas domusque relinquere, & profugi ac latitantes ex ditiorum collectis eleemosynis clanculum vivere, ibique in abditiori alicujus signatæ domus parte sacris vacare ministeriis. Hinc etiam ex hoc capite credi potest sancti Clementis paternam domum, urgente præsertim Gentilium persecutione,

 hujus

hujus generis titulum fuisse, quum planum sit in illa fideles congregari, eamve sanctum Clementem ad sacra peragenda hospitalem reddere potuisse.

IV. Domus illæ aut memoriæ martyrum, ideo *tituli* nomine dictæ sunt, sive quia in earum consecratione & erectione crux in titulum ponebatur, ut opinio est Jacobi Gretseri in tomo primo de Cruce Christi libro altero capite vicesimosecundo: sive quia ad fores ædium, quæ in honorem martyrum condebantur, vela quædam suspensa pendebant, ubi aut nomen aut martyris imago depicta erat, & illa *tituli* vocabantur, ut ex Gregorio Turonensi, & Paullino tradit Ludovicus Thomassinus parte prima de Beneficiis libro secundo capite vicesimoprimo, & nonagesimooctavo: sive quia sacris in illis ædibus affigebantur tabellæ quædam cum inscriptione nominis martyris, quæ etiam *tituli* vocem ferebant, desumta a fiscalibus titulis nomenclatura in l. si quando la seconda cod. de bonis vacantibus libro decimo: sive denique quia, quum domus illæ fidelium sanctorum hominum & martyrum memoriam plerunque referrent, memoria illa *titulus* appellabatur, ducto argumento a sacris literis libro secundo Regum, & libro Genesis utrobique capite decimooctavo. Itaque perspectum est toto cœlo a rei veritate plurimum defecisse Alphonsum Ciaconium in vita Hygini Pontificis, Johannem Baptistam Casalium de veterum Chri-

stia-

stianorum ritibus capite octogesimotertio, & Petrum Mariam Passerinum de statu & officio hominum tomo primo quæstione centesimaquinta, qui titulos nil aliud fuisse opinantur quam redditus sive proventus ex villis, prædiis atque fundis, quos olim pii fideles ecclesiarum ministris largiri consueverunt. Hos plane gravi errore obductos esse hactenus scripta suadent, quum tituli nomen nonnisi ædibus divino cultui, aut martyrum memoriæ sacris tribueretur: nec veteres illi scriptores, qui Pontificem Evaristum titulos in Urbe divisisse tradiderunt, ut observant Cardinalis Baronius in notationibus martyrologio ad dies undevicesimam Junii, vicesimamsextam Junii, ac primam Augusti, necnon Andreas Victorellus ad Ciaconium in vita Hygini, redditum vel proventuum unquam prorsus meminere. Verum quidem est aliquando prædia inposterum clericis adsignata, & ecclesiis relicta tituli nomen obtinuisse, ut liquet ex libro primo de feudis titulo sexto §. primo; sed tamen illud ab ecclesiis in bona transfusum esse notant jurisconsulti. Hinc ortum habuisse ordinationum titulos communis est auctorum sententia: non enim olim quis admittebatur in clerum, nisi qui certæ ecclesiæ addictus esset, ut indicat Petrus Franciscus de Tonduti parte secunda quæstionum canonicarum capite primo, & latissime animadvertit Josephus Sanfelicius in allegatione pro clero originario Neapolitano Neapoli typis edita, cujus

cujus mihi copiam humanissime communicavit ejus frater alibi laudatus, & ob sacræ eruditionis peritiam ubique laudandus Antonius canonicus Sanfelicius; unde ecclesia illa, in cujus albo descriptus erat, titulus dicebatur.

V. Sed utcunque sit tituli nomen, neminem latet eruditorum primas Christianorum ecclesias in honorem Dei vel Sanctorum exstructas tituli vocabulo dictas fuisse. Hos autem titulos, quum Evaristo Pontifice plures essent in Urbe, inter quos adnumerari etiam potuit sancti Clementis ædes, aucto fidelium numero, Pontifex Evaristus presbyteris Romanæ ecclesiæ distribuit, ut se invicem sejuncti suo quique titulo vicinos fideles erudirent, sacramentaque ministrarent; exindeque in domos presbyterales ac veluti parœcias evaserunt: tituli namque, Anastasio teste in Marcello, instituti fuerunt propter baptismum & pœnitentiam eorum, qui ex paganis ad fidem Christianam convertebantur. Quamobrem sancti Clementis titulum, sive religiosa domus fuerit, sive memoria martyris, sive signata ædes ad pauperum fidelium conventus, etiam inter alios Urbis titulos, quos Evaristus divisit, Romanæ ecclesiæ presbytero distributum fuisse putavi. Verum ut tituli singulare nomen referrent, proinde necesse fuit, sequuta jam Evaristi divisione, iis nomina martyrum, quorum ibi colebantur memoriæ, necnon illa fundatorum adjicere. Quum

enim

enim ditiorum fidelium nonnulli suam domum pro titulo quandoque adsignarent, quandoque titulum omnino erigerent, aut redditus atque proventus titulorum presbyteris erogarent, titulis hujusmodi largitorum nomina adjiciebantur, & illa presbyteri hoc pacto sibi vendicabant: *Rainerius presbyter tituli Pammachii. Gordianus presbyter tituli Vestinæ. Johannes presbyter tituli Pastoris*; eo quod scilicet Pammachius, Vestina, Pastor titulum vel fundarunt, vel tituli proventus largiti sunt. Quum vero præter fundatoris nomen illud etiam martyris, cui titulus facer erat, adderetur, hæc in usu fuit presbyterorum subscriptio: *Rainerius presbyter sanctorum Johannis & Paulli tituli Pammachii. Gordianus presbyter sancti Vitalis tituli Vestinæ &c.* Propterea, ut notat Cardinalis Baronius ad annum centesimum duodecimum, aliique auctorum plures, *tituli* etiam nomine dictæ sunt ecclesiæ, quibus Romani presbyteri addicebantur, quia ab illis titulum sui nominis desumere consueverunt. Verum tamen quum sancti Clementis antiqua domus ab aliquo ditiorum fidelium in titulum conversa non fuerit, sed vel ab iisdem conjunctim fidelibus, vel ab ipso sancto Pontifice divino cultui mancipata, hinc unum duntaxat sancti Clementis nomen obtinuit.

VI. At quidem etsi omnis titulus latiori vocabulo acceptus, ut nomen quamlibet sacram ædem

ædem complectens, fuerit ecclesia sive religiosa domus Dei vel Sanctorum cultui dicata, non tamen post primam saltem Evaristi Pontificis divisionem parœcialis ecclesiæ munere fungebatur. Domus enim, quæ in parœcias deputari solebant, juxta majorem vel minorem Christianorum numerum ex titulis instituebantur, quemadmodum a Marcello, Dionysio, aliisque Romanis Pontificibus institutæ fuerunt. Quamobrem propiori sæculo, & jam reddita ecclesiæ pace, tituli nomen nonnisi ædibus, quæ in parœcias presbyterorum curæ deputatæ erant, tribuebatur: sicut hodiernæ solum, quæ sunt ecclesiæ presbyteri cardinalis titulo insignitæ tituli adhuc vocabulum referunt. Onuphrius Panvinius in opusculo de titulis cardinalium memoriæ tradidit titulares hujusmodi sive parœciales ecclesias vicesimumoctavum numerum usque ad recentiora ferme tempora non excessisse, quibus presbyteri cardinales ad ampliorem numerum redacti sunt. Et licet perspicuum sit Cornelii Pontificis ævo quadraginta & sex presbyteros Romæ vixisse, atque hinc eruditi quamplures totidem arguant exstitisse basilicas sive titulos, tamen hoc argumentum totidem parœcialibus ecclesiis singillatim addictos fuisse presbyteros non evincit: veteres enim illi omnes presbyteri (etsi ecclesiarum ministerio omnes famularentur) distinctos inter se titulos non habebant, quum jam tempore Hygini, aliorumque Pontificum unum

eum-

eundemque titulum pluribus communem fuisse presbyteris scriptorum testimonia confirment. Hinc plures ex titulis, qui parœciales ecclesiæ non erant, unice in basilicas aut martyrum memorias, sive in sacras ædes divino cultui destinabantur absque eo quod tituli nomen referrent, cujusmodi olim fuerunt patriarchales basilicæ, & Urbis diaconiæ, ut erudite notavit Mabillonius in commentario ad ordinem Romanum §. tertio in tomo altero Musei Italici, ibique quadruplicem ecclesiarum in Urbe classem distinguit.

VII. Brevem hucusque dictis appendicem subnectere superest, levemque difficultatis nubeculam dissolvere, quam objicit prima Romana synodus sub Symmacho Pontifice anno ultra quadringentesimum nonagesimonono celebrata, in qua præter alios concilii patres, tres Romanæ ecclesiæ presbyteros tituli sancti Clementis subscriptos legimus, videlicet: *Petrum*, *Urbicum*, & *Servumdei*; quamobrem paucis disputare lubet unde mos hic antiquitus uni titulo plures adscribendi presbyteros invaluerit. Vulgata inter scriptores opinio est primævo ecclesiæ tempore singulos tantum presbyteros propter exiguum Christianorum numerum singulis titulis præfuisse: verum, ut observant Panvinius in laudato opusculo, & Johannes Filesacus de parœciarum origine capite tertio, quum jam per Urbis regiones Christiana religio magnum ca-

peret incrementum, & fidelium numerus in maximam excrevisset multitudinem, Pontifex Hyginus animadvertens unius tituli ministerio unum presbyterum haud sufficere, plures idcirco in unoquoque titulo constituit presbyteros, necnon diaconos, aliosque ad presbyterorum subsidium adjecit ministros. Neutiquam itaque improbatam Ciaconii, Casalii, & Passerini sequimur opinionem, qui perperam arbitrantur, si forte ecclesiarum tituli (quos redditus dixerunt) pinguiores fuerint, hinc non unum, sed duos vel plures singulis titulis præfectos fuisse presbyteros. Horum nanque sententiam, quam nuper explosimus, respuendam itidem admonent auctorum plerique, qui Anastasii testimonio in vita Hygini assentiuntur, ubi hæc habet: „ Hic clerum composuit, & distribuit gradus; ita nimirum gradus Hyginum distribuisse ferunt, ut in titulis alios superiores, alios inferiores inter presbyteros, & diaconos, aliosque ministros designaverit. Ex quo Panvinius, Filesacus, Thomassinus, Mabillonius ceterique eruditiores presbyterorum cardinalium munus & nomen effluxisse putant, ut his videlicet presbyter cardinalis diceretur, hoc est principalis ac dignior, qui ceteris presbyteris ejusdem tituli præesset; propterea scribit Panvinius in quolibet Urbis titulo tria distinctos fuisse gradus, quod scilicet esset *presbyter cardinalis*, deinde *archipresbyter*, & demum *presbyter minor*.

Huic

VIII. Huic in titulis ab Onuphrio excogitatæ graduum distinctioni mea etiam accedit opinio: quum enim in præfata Romana synodo plures unius tituli subscriptos reperiam presbyteros, atque solis viginti & octo * titulis, qui Symmachi ætate, completo veterum numero recensebantur, sexaginta & sex * titulares presbyteros additos fuisse; ut ideo hæc graduum distinctio inter plures ejusdem tituli presbyteros juxta Anastasii textum consistat, illam nonnisi hoc ordine, quem Panvinius descripsit, habitam existimavi. Opinionis hujus locuples subsidium est vetus lapidea tabula in basilica sanctorum Johannis & Pauli posita (cujus monimenta, ut eminentissimo Cardinali Fabricio Paulutio eruditorum & literarum Mœcenati morem geram, colligere aggressus sum) ubi sancti Gregorii Magni Pontificis apostolicum diploma legitur, ibique partim hæc ipsa graduum distinctio notatur:

* Alii addunt [illegible] duodecim, quem Panvinius non memorat.

* Panvinius nonnisi ex nomenclatura aliqua etiam [illegible] [illegible] ac titulorum diversitate.

Gregorius episcopus servus servorum Dei: dilectis in Christo filiis Deusdedit cardinali, & Johanni archipresbytero tituli sanctorum Johannis & Pauli.

Quocirca satis constat de tribus illis tituli sancti Clementis presbyteris, qui in concilio Romano simul interfuerunt, Petrum tantum ut cardinalem seu principalem presbyterum titulo præfuisse, Urbicum

Hh ij

bicum vero archipresbyteri obiisse munus, & Servum-dei velut minorem presbyterum tituli ministerio operam navasse. Hoc itidem observandum erit in synodo secunda Romana sub Magno Gregorio celebrata, Mauricii Imperatoris anno decimo, indictione tertiadecima, quinta die mensis Julii, eodem Gregorio teste in epistola quadragesimaquarta libri quarti epistolarum apud Labbeum tomo quinto collectionis conciliorum, cui duo etiam tituli sancti Clementis presbyteri subscripserunt, Speciosus nempe & Candidus, quorum alter in titulo presbyteri cardinalis, alter archipresbyteri officium implebat. Ex quibus proinde inferri potest sancti Clementis basilicam ex nobilioribus frequentioribusque Urbis titulis olim fuisse, quum nimirum plures quam alii tituli presbyteros ejus ministerio designatos habuerit; quandoquidem aliis pluribus unus tantum, aut saltem duo presbyteri longe suppeterent.

CA-

CAPUT VI.

Alia vetera basilicæ sancti Clementis monumenta.

I. OBSERVATA hucusque temporis serie, qua duce vetera hujus basilicæ proferimus monumenta, modo Johannis II. Romani Pontificis occurrit memoria, qui anno quingentesimo tricesimosecundo Sedi apostolicæ præfuit, & sua ad Pontificatum assumtione primus omnium sancti Clementis basilicæ magnum & singulare præstitit ornamentum. Enimvero antequam ad Pontificiam sedem eveheretur, in titulo sancti Clementis Romanæ ecclesiæ presbyteri munere fungebatur, ut præter auctorum testimonia, documentum suppeditat antiqua e marmore tabula in pavimento basilicæ sancti Petri in Vinculis his notis exsculpta:

Salbo Papa N. Johanne cognomento Mercurio
Ex sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteris ordinato,
Ex titulo sancti Clementis
Ad gloriam Pontificalem promoto,

Beato

Beato Petro apostolo patrono suo
A vinculis ejus Severus presbyter offert
Et it. P. C. Lampadii & Orestii
VV. CC.

II. Præterea sanctus Pontifex Gregorius Magnus quantum sancti Clementis basilicæ ornamento ac dignitati prospexerit, ex eo maxime educitur, quod semel & iterum in illa ad populum declamavit: habuit siquidem tricesimamtertiam homiliam super evangelium Lucæ capite septimo, quam feria sexta quatuor temporum Septembris recitasse vetera monent exemplaria; in postrema vero editione, quam nuper notationibus illustratam, & sapientissimo Pontifici Clementi XI. inscriptam eruditi monachi sancti Mauri in Italiam transmiserunt, ex MS. codice Germanensi *in die natali ejus* habitam fuisse animadvertitur: necnon tricesimamoctavam item habuit super evangelium Matthæi capite tricesimosecundo Dominica undevicesima post Pentecostem; quas in basilica sancti Clementis a Gregorio Magno recitatas quidem fuisse omnia ejusdem operum exemplaria etiam antiquissima cum veteribus MSS. codicibus collata testantur. Luculentius tamen argumentum quanti fecerit nostram basilicam idem sanctus Pontifex, memoriæ proditum est a Gregorio Turonensi in historia Francorum libro decimo capite primo, ubi

ubi ejus tempore grassantem Romæ luem describit. Sub finem enim mensis Augusti anni quingentesimi nonagesimi litanias generales seu publicas ad Deum supplicationes tam cleri quam populi omnis ordinis ac sexus ad divinam avertendam iram indixit, quas septiformes vocavit, & ideo septiformes, quia totius Urbis populum, ut tradit Paullus Diaconus in ejus vita, in septem partes Deum deprecaturum divisit: ita nimirum quod per varias diversarum personarum classes singillatim ex diversis itidem adsignatis ecclesiis exeuntes seorsim procederent clerici, viri Laici, monachi, ancillæ Dei, feminæ conjugatæ, viduæ, pauperes, & infantes. Inter illas autem statutas Urbis ecclesias, quæ forte in frequentiori fuerant situ, etiam sancti Clementis basilicam adnotavi, unde mulieres conjugatæ cum presbyteris regionis tertiæ egrediebantur. Id scribit laudatus Gregorius Turonensis, qui litaniarum ordinem ex oratione, quam ad plebem habuit sanctus Pontifex, ejus verbis recenset:

„ Clerus egrediatur ab ecclesia sanctorum
„ martyrum Cosmæ & Damiani cum presbyteris
„ regionis sextæ.

„ Omnes abbates cum monachis suis ab
„ ecclesia sanctorum martyrum Gervasii & Pro-
„ thasii cum presbyteris regionis quartæ.

Omnes

„ Omnes abbatiffæ cum congregationibus
„ fuis egrediantur ab ecclefia fanctorum marty-
„ rum Marcellini & Petri cum presbyteris regio-
„ nis primæ.

„ Omnes infantes & pauperes ab ecclefia
„ fanctorum martyrum Johannis & Paulli cum
„ presbyteris regionis fecundæ.

„ Omnes vero laici ab ecclefia fancti pro-
„ tomartyris Stephani cum presbyteris regionis
„ feptimæ.

„ Omnes mulieres viduæ ab ecclefia fanctæ
„ Euphemiæ cum presbyteris regionis quintæ.

„ Omnes mulieres conjugatæ egrediantur ab
„ ecclefia *fancti martyris Clementis* cum presby-
„ teris regionis tertiæ.

III. Hujufmodi litaniarum ordinem ex Gregorio Turonenfi ita difpofitum, cui fuffragatur Paullus Diaconus in libro tertio de geftis Langobardorum capite vicefimoquinto, aliter diftributum reperi apud Gregorium Pontificem in epiftola fecunda libri undecimi epiftolarum in fine fermonis de mortalitate, quem ad populum habuit pro altera litaniarum indictione in bafilica fanctæ Sabinæ, nec-

necnon apud Johannem Diaconum in libro primo ejus vitæ capite quadragesimo, ibique nulla de sancti Clementis basilica, sicut de aliis nonnullis fit mentio. Quum enim mulieres conjugatæ ex Gregorio Turonensi egredi jubeantur *ab ecclesia sancti martyris Clementis*, alter ex Gregorio Pontifice *ab ecclesia sancti martyris Stephani* jubentur exire. Quapropter Cardinalis Baronius ad annum quingentesimum nonagesimum, necnon Nicolaus Serarius in suo tractatu de processionibus libro secundo capite septimo exquirunt unde hæc diversitas oriatur; illamque non aliunde exortam putant, quam quod, quum non semel ejusmodi indictæ fuerint litaniæ, proque diversitate dierum diversæ affigerentur in ecclesia inscriptiones singulæ diebus singulis, hinc Gregorius Turonensis unius fortasse diei litanias recensuerit, Gregorius vero Pontifex litanias alterius; quas pluries revera fuisse celebratas, ex veteribus ritualibus compertum esse idem Baronius confirmat.

IV. Aliud sequitur argumentum, unde liquet quanto in honore sancti Clementis basilicam habuerit Gregorius Magnus. Quum namque, ut notat Johannes Diaconus in ejus vita libro altero, per basilicas & martyrum cœmeteria stationes in Urbe diviserit, eidem quoque sancti Clementis basilicæ pro feria secunda post secundam Dominicam quadragesimæ stationem addixit, ut Ugonius cete-

rique rerum ecclesiasticarum Urbis scriptores abunde testantur. Ejusdem postremo singulari nota meminit sanctus Pontifex homilia decimaquinta super euangelia in basilica sancti Paulli dicta, ubi sancti Servuli paralytici mentionem habet his verbis: „ In ea porticu, quæ euntibus ad ecclesiam „ beati Clementis est pervia, fuit quidam Servulus „ nomine, qui quidem pauper rebus, sed meritis „ dives, quem longa ægritudo dissolverat &c. In ejus deinde laudem effusus plura subnectit literis commendanda, quæ itidem ad basilicæ dignitatem iubet referre: „ Nam ex quo illum (sequitur) scire „ potuimus usque ad finem vitæ paralyticus jace„ bat. Quid dicam quia stare non poterat, qui „ nunquam in lecto surgere vel ad sedendum vale„ bat, nunquam manum suam ad os ducere, nun„ quam se potuit ad latus aliud declinare? Huic „ ad serviendum mater cum fratre aderat, & quic„ quid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eo„ rum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam „ literas noverat, sed scripturæ sacræ sibimet co„ dices emerat, & religiosos quosque in hospita„ litatem suscipiens, hos coram se studiose legere „ faciebat, factumque est ut juxta modum suum „ plene sacram scripturam disceret, quum, sicut „ dixi, literas funditus ignoraret. Studebat sem„ per in dolore gratias agere hymnis Dei & lau„ dibus diebus ac noctibus vacare. Sed quum tem-

pus

„ pus esset, ut tanta ejus patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit;
„ quumque jam se morti proximum agnovisset,
„ peregrinos viros atque in hospitalitatem susceptos admonuit ut surgerent, & cum eo psalmos pro exspectatione sui exitus decantarent,
„ quumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit cum terrore
„ magni clamoris dicens; tacete, nunquid non
„ auditis quantæ resonent laudes in cœlo? & dum
„ ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem
„ cordis intenderet, sancta illa anima carne soluta
„ est, qua scilicet exeunte tanta illic fragrantia
„ odoris aspersa est, ut omnes qui illic aderant,
„ inæstimabili suavitate replerentur: itaut per hoc
„ patenter cognoscerent quod eam laudes in cœlo
„ suscepissent. His Gregorius beatissimi paralytici vitam brevi elogio describit, quam iisdemmet verbis repetit in libro quarto Dialogorum capite decimoquarto, & utrobique subdit: „ Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc usque vivit,
„ & cum magno fletu attestari solet, quia quousque corpus ejus sepulturæ traderent, ab eorum
„ naribus odoris illius fragrantia non recessit.

Nonnulli hinc suspicantur Gregorii Pontificis ævo sancti Clementis basilicam ejusque cœnobium penes monachos fuisse; quod quidem, quia sancti Servuli piæ morti ex suis monachum interfuisse,

Gregorius scripto mandavit, nemini usquam cordato viro suadetur.

V. Sanctissimi hujus viri memoriam retinet martyrologium Romanum ad diem vicesimamtertiam Decembris, ibique Cardinalis Baronius in notationibus, necnon Beda, Usuardus, Ado, aliique. Ejus corpus in hac basilica sepultura donatum fuisse ex allato Gregorii textu communi sensu putant auctores: attamen ubi reipsa jaceat multiplex est inter illos sententia; alii nanque illud autumant ante altare majus, alii quidem intra basilicam, sed cujus certus locus exploratus non sit, alii demum in antiquo, quod olim fuisse ferunt, sacello prope priorem porticum extra basilicam, requiescere: verum utcumque sit, utique situs, in quo requiescat venerabile pignus, haud satis liquet; quod deinceps minime obscurum fore confidimus, quum ejus inventionem jampridem exoptatam, Deo auspice, propediem in opus perducendam præstolemur. Hujus enim præludium putavimus officium, quod princeps eminentissimus Thomas Maria Ferrarius spectatæ integritatis & sapientiæ Cardinalis, ac basilicæ titularis emeritus in viri sanctissimi obsequium perficiendum curavit: cujus lectiones pro secundo nocturno ex præfata Gregorii Magni narratione, & pro tertio ex sermone centesimo vicesimoquarto sancti Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis eductas sacra Ri-

Rituum congregatio anno millesimo septingentesimosecundo die nona Decembris, referente eodem eminentissimo Cardinale, laudavit probavitque: & a fratribus ordinis Prædicatorum Hybernensibus, qui sancti Clementis cœnobium incolunt, die vicesimatertia Decembris singulis annis recitari concessit. Sacellum olim, Ugonio teste, in hac basilica sancto paralytico sacrum fuit, ibique, ut observat Cardinalis Baronius in notationibus martyrologio ad eandem diem vicesimamtertiam Decembris, visa est ejus vita picturis descripta: quod tamen ego arbitror fuisse non intra basilicam, sed extra in illa porticu, quam picturis, etsi hodie temporis diuturnitate defotmatis, adhuc ornatam intuemur, ubi scilicet sub veteri sacello ejusdem corpus requiescere alii scripserunt.

CA-

CAPUT VII.

De recentioribus basilicæ sancti Clementis monumentis.

I. Recentiora hic vocantur monumenta, quæ sese offerunt post antiquiora ecclesiæ sæcula, licet revera sint & ipsa vetera. Hinc etsi vetustiora suppetant his, quæ modo subjicienda erunt, quia vero vel sunt basilicæ restaurationes, vel dona a priscis Pontificibus elargita, vel presbyteri titulares, de quibus omnibus disserendum erit, hæc tamen minus antiqua in præsens ut opportune proferenda suscipio. Primum itaque quod præsto sit monumentum, incidit sub Silvestro II. Romano Pontifice a Cardinali Baronio ad annum undemillesimum literis consignatum de Francone episcopo Wormatiensi. Is quum semel apostolorum limina advenerit, iterum sacra loca veneraturus, Romam cum Ottone III. Imperatore profectus est: ubi pedibus denudatis, ciliciis induti quandam speluncam juxta sancti Clementis basilicam ingressi sunt (quænam autem hæc fuerit, adhuc in obscuro est) ibique in orationibus ac jejuniis

piis necnon in vigiliis quatuordecim dierum spatio latuerunt, ibidemque ferunt nonnulli visionibus & alloquutionibus divinis sæpius oblectatos fuisse. Attamen id pro certo est episcopo Franconi diem & horam obitus sui divinitus fuisse prænunciatam, & reipsa Romæ mortalitatem explevit, atque, ut notat Johannes Severanus in suis memoriis historicis, in Vaticana basilica sepulcrum obtinuit.

II. Quod etiam dignitati basilicæ potissimum præstat ornamentum, est Paschalis II. Pontificis ibidem habita electio anno salutis ultra millesimum nonagesimono. Hic ante Pontificatum Cluniacensis monachus in Bleda antiquo Æmiliæ nostræ oppido natus, Rainerius nomine, a sancto Gregorio VII. sancti Clementis presbyter cardinalis adlectus, apud suum titulum morabatur. Urbano II. interim e vivis sublato, comitia Pontificalia ad sancti Clementis basilicam indicta sunt, quo patres, episcopi, cardinales, primoresque Urbis, primiscrinarii, atque scribæ regionarii convenerunt, & invitum ac fugientem Rainerium cardinalem in Pontificem elegerunt, qui sibi Paschalis II. nomen imposuit. Apostolico ibi suscepto munere, purpuream chlamydem induit, & thiara Pontificum more ornatus, e titulo sancti Clementis toto cardinalium & cleri stipatus coetu ad basilicæ Constantianæ porticum perductus est. Quo item Paschalis ævo Ciaconius in ejus vita cujusdam Leonis

Leonæ abbatis ſancti Clementis meminit ab eodem, Pontifice in ordinem diaconorum cardinalium cooptati; quem tamen, ut opinor, ab errore occupatus ad Paſchalis tempora retulit: illum enim Piſcarienſis monaſterii ſancti Clementis in inſula monachum, Leonatem nomine, ab Eugenio III. primum inter ſubdiaconos cardinales adſcriptum fuiſſe, deinde Hadriano IV. Pontifice, monaſterii abbatem, Johannes Berardus in præcitati chronici Piſcarienſis libro primo teſtatur.

III. Petrus Mallius in celebri ſuo MS. codice de baſilica Vaticana aliquod ſæpenumero producit de ſancti Clementis eccleſia monumentum; & primo ubi veterem notat, qui jam invaluerat, uſum omnibus Romanæ eccleſiæ presbyteris cardinalibus communem ſingillatim per hebdomadam in quatuor patriarchalibus Urbis baſilicis ſacrum celebrandi, ibique inter illos, a quibus Liberianæ baſilicæ miſſæ penſum debetur, ſancti Clementis presbyterum cardinalem adnumerat. Quod & Onuphrius tradit in opuſculo de titulis, ordinem adnotando, quo antiqui vigintiocto presbyteri cardinales per ſeptenarium numerum diſtributi quatuor eiſdem patriarchalibus baſilicis addicebantur; & hoc ordine ſeptem presbyteros cardinales baſilicæ ſanctæ Mariæ majoris adſcriptos recenſet, nimirum: „ Tituli ſanctorum duo„ decim Apoſtolorum, ſancti Cyriaci in thermis, ſancti

sancti Eusebii, sanctæ Pudentianæ, sancti Vitalis, sanctorum Petri & Marcellini, & *sancti Clementis*.

IV. Ibidem præterea Mallius sancti Clementis basilicæ mentionem agit, illam scilicet inter ecclesias enumerando, quibus olim presbyterium erogabatur. Nominis hujus *presbyterium* (de quo dissertationem aggressum esse accepi virum exploratæ virtutis, & nunquam nisi cum laude nominandum illustrissimum Battellum) multiplicem auctores adferunt significationem. Alii nanque illud explicant characterem sive sacerdotalem dignitatem, ut jam explicavit vetus interpres concilii Nicæni canone secundo, Pontius diaconus in vita sancti Cypriani, necnon Siricius Papa in epistola prima capite decimotertio. Alii pro collegio presbyterorum sumunt sive consessu & conventu sacerdotum unius diœcesis, quem synodum vocant, ut illud sumsit Basilius Magnus in epistola trecentesima undevicesima ad Innocentium, & Cyprianus in epistolis tricesimaquinta, quadragesimasexta, & nona. Plures etiam presbyterium appellant ecclesiæ partem, in qua presbyteri consistunt, & sacræ liturgiæ vacant, ut appellavit Romana synodus sub Eugenio II. celebrata, & altera sub Leone IV., necnon Anastasius Bibliothecarius in Leone III., & Cæsarius in libro primo capite tricesimoquinto. Alii pro choro ecclesiæ hac voce utuntur, sicut

usus est anonymus in vita sancti Johannis archiepiscopi Eboracensis, & Ordericus Vitalis libro septimo pag. *662.*, qui itidem libro quinto pag. *587.*, & libro octavo pag. *669.* presbyterium vocat idem quod presbyteratum, sive obventiones presbyteri parochialis, idque confirmat tabularium prioratus de Paredo pag. *70.* & *71.* apud Cangium in suo Glossario. Demum presbyterii vocabulo *donativum* exprimitur, sive quædam eleemosyna aut pecuniæ summa sollemnibus diebus clero & populo ex veteri instituto in quoddam gratulationis signum a Romanis Pontificibus erogari solita, maxime quum inaugurarentur, quod ita dictum videtur, quia ob summum presbyterium seu Pontificiam dignitatem effundebatur. In hoc sensu illud habet Gregorius Magnus in epistola vicesimasexta libri quarti, & tricesima libri duodecimi, cui consentiunt Sugerius in Ludovico VI., Anastasius pluribus in locis, & Cæsar cardinalis Rasponus de basilica Lateranensi libro quarto capite tertio.

V. Postremo hoc sensu presbyterii nomine utitur Mallius, quod sancti Clementis basilicæ memorat elargiri: „ Pro eleemosyna (ait) sanctæ Rufinæ, & sanctorum quatuor Coronatorum, & „ *sancti Clementis*, & sancti Pancratii una aqua- „ ricia olei, & quinque libræ ceræ & dimidia de „ olibano: & in unaquaque hebdomada pro elee- „ mosynis pauperum undecim solidos Lucenses, &

dum

„ dum strata currit, extra id quod datur ejectis. Id etiam luculenter testatur in antiquo suo libro Cencius Camerarius, quem Mabillonius in tomo secundo Musei Italici publici juris fecit, ubi sancti Clementis ecclesiam inter illas recenset, quibus pro *thuribulo*, quod Romanis presbyteris erogari consueverat, presbyterium in summa undecim solidorum tribuebatur. Aliud quoque presbyterium idem Cencius enumerat, quod pro arcubus familiæ Fraiapanorum de Chartularia conferebatur, non vero sancti Clementis ecclesiæ, sed alteri, ad angulum tamen usque ecclesiæ sancti Clementis. Verum perenobile atque insigniori nota dignum hujus basilicæ monumentum ab eodem Cencio ibi proditum est, ubi morem refert, quo Romanus Pontifex die festo sancti Marci in litania majori e Laterano ad ejus basilicam pergit: „ Quum autem „ (inquit) domnus Papa venerit cum processione „ ad ecclesiam sancti Clementis, ibi quiescit in „ lecto superposito tapeto & herbis circumquaque „ positis, quæ tamen fiunt a clericis ejusdem ec- „ clesiæ sancti Clementis. Postquam vero quie- „ verit, surgens vadit &c. Petrus Amelius in suo veteri codice de cæremoniis ibidem quoque apud Mabillonium edito usum tradit inolevisse die protomartyri Stephano sacra missam coram Pontifice & cardinalibus, quoties ille non celebraret, a presbytero cardinali sancti Clementis sollemni

ritu esse celebrandam. Benedictus Millinus in opusculo de oratorio sancti Laurentii sive Sancta sanctorum capite tertio, ubi perinsignem olim, ac veterem a Sergio I. institutam imaginis sanctissimi Salvatoris processionem describit, & manu exaratum codicem ex archivo societatis profert, de basilica sancti Clementis hæc habet: „ Imago „ autem ipsa deinde eo die per arcum Basile & „ viam sacram cum sonechio desuper aurato, & „ magna turba præcedentis & sequentis semper „ populi defertur ante faciem & portam primam „ sancti Clementis, per cujus sacerdotes similis cæ- „ remonia de pedum lotione servatur. Ibi nanque pro secunda vice, ut etiam indicat antiqua in aula hospitalis societatis pictura, mystica quædam lotionis pedum cæremonia fieri consueverat, qua peracta, populus & cœtus omnis sacram imaginem ad basilicam Liberianam usque comitabatur. Inferiori demum sæculo, Nicolao V. Pontifice, extremum est hujus basilicæ monumentum. Is, ut scribit Ciaconius in ejus vita, quum anno a Christo nato ultra millesimum quadringentesimo quinquagesimo pro impetranda pace inter Christianos principes ferali bellorum incendio indignatos publicas ad Deum preces indixerit, ipse pedestre iter agens sacram Eucharistiam spectabili amplissimoque cultu detulit e basilica Lateranensi ad illam usque sancti Clementis.

CA-

CAPUT VIII.

Basilicæ sancti Clementis munera a Pontificibus elargita, necnon plures ejus restaurationes, ceteraque eidem collata beneficia recensentur.

I. QUANVIS adeo antiqua hujus basilicæ primordia tradita sint, ut illam sancti Hieronymi ætate, cujus primum est monumentum, jam exstructam in modum basilicæ putaverim, censendum tamen non est sic omnino ea forma fuisse, qua nunc visitur, a tempore usque sancti Hieronymi, nam plerunque illam instauraſſe Pontifices ecclesiasticæ tabulæ testantur; verum quidem primævæ, quam habuit, formæ toties restitutam fuisse etiam existimavi: ut enim illam commendat sacræ antiquitatis præstantissimus illustrator Johannes Ciampinus in tomo primo capite secundo veterum monimentorum, singulas propemodum antiquarum basilicarum partes adeo integras servat, ut religione, quam adhuc ingerit intuentibus vel sola valeat priorem ecclesiam unico obtutu explicare.

Itaque

II. Itaque primum omnium, qui basilicam reparaverit, Hadrianum Pontificem, Carolo Magno Imperatore, anno salutis septingentesimo septuagesimosecundo apud Anastasium legimus in ejus vita: „ Tectum vero (inquit) beati Clementis, „ quod etiam casurum erat, & in ruinis positum „ regionis tertiæ noviter restauravit &c. Hinc Leo III. vigintiquatuor post annos ab Hadriano, etsi reparationis memoriam non reliquerit, tamen beneficentissimus Pontifex inter sacras ædes, quas pretiosis cumulavit donis, sanctì Clementis basilicæ singulari præ aliis honore ter munera largitus est, quæ in ejus vita idem Anastasius describit: „ In basilica beati Clementis fecit vestem unam „ habentem periclysin de chrysoclavo: deinde pluribus interjectis: „ In titulo beati Clementis Martyris atque Pontificis fecit coronam de argento „ pensantem libras quindecim: & inferius: „ Pariter & in ecclesia beati Clementis Martyris atque Pontificis fecit vestem albam cum chrysoclavo habentem historiam Resurrectionis, seu „ Ascensionis, necnon & Pentecosten. Quod idem præstitit Gregorius IV. anno octingentesimo vicesimoseptimo, ut quoque in ejus vita Anastasius significat: „ Fecit etiam sanctissimus Papa & „ in ecclesia beati Clementis confessoris vestem „ de fundato cum leonibus, & periclysin de octabulo. Mirum tamen non sit Anastasium con-

fes-

fessoris nomen sancto Martyri Clementi tribuisse, nanque martyres promiscue etiam confessores aliquando appellare solitum esse Anastasium nonnullis in locis animadverti, & præsertim in hac ipsa Gregorii IV. vita, ubi sancti Marcelli Pontificis confessoris nomine meminit, quem etiam in vita Leonis III. martyrem appellavit. Demum Leo IV. anno octingentesimo quadragesimoseptimo Leonis III. prædecessoris exempla imitatus, teste itidem Anastasio, ter sancti Clementis basilicam muneribus locupleravit: „ Fecit etiam idem beatissimus „ Præsul in ecclesia beati Clementis Martyris at„ que Pontificis gabathas de argento purissimo „ numero sex, tres quidem filo pares signo Chri„ sti, & duas etiam similitudines palmarum, & „ unam interrasilem,que; est faxisca pensantes simul „ libras quatuor. Deinde infra: „ Item fecit præ„ dictus Præsul regnum quod pendet super altare „ majus ex auro purissimo sculptile sine gemmis „ habens in medio crucem de auro cum gemmis „ fixis in eadem cruce, vitreas quinque, & quæ „ pendent item vitreas numero quatuor pensantes „ libras quinquaginta. Postremo: „ Fecit etiam „ in ecclesia beati Clementis Martyris atque Pon„ tificis aquæmanile de argento par unum habens „ in se sculptum similitudinem capitis hominis „ cum vite & alia historia pensans libras tres. Hæc Anastasius.

Ut

III. Ut autem redeam ad basilicæ restaurationes, unde diverteram, dispar inter scriptores opinio est de Nicolao I. Pontifice, an scilicet, ut fertur, sancti Clementis basilicam reparaverit. Ugonius enim autumat a Nicolao revera instauratam fuisse, suamque elicit conjecturam ex hoc subjecto monogrammate septo marmoreo insculpto, quod *Nicolaus* interpretatur, cui



etiam Nicolaus Alemannus de parietinis Lateranensibus capite tertio, & Carolus Cangius in suo Glossario consentiunt, idque satis probabili rationum apparatu confirmat: quandoquidem, quum sedente Nicolao sancti Clementis corpus Romam asportaretur, & fortassis basilica, in qua sacrum pignus deponendum erat, reparationis egeret, illam idcirco restaurasse potuit, ejusque marmoreum septum vetustate forte collapsum priori structuræ restituisse. Benedictus Millinus in codice Vaticano, & Johannes Ciampinus in præcitati tomi capite primo ab hac Ugonii, Alemanni, & Cangii opinione dissentiunt, traduntque aliquem dari dubitationi locum ex ipsa literæ conformatione, quæ ad vocem *Nicolai* exprimendam trahi non posse videtur, quum prior litera H Nicolao aptari non valeat. Desideratur præterea litera C & L, nisi asseratur L formari a litera transversa sub S composita cum antecedenti hastula literæ N; quod vero

vero utcunque sit, invenienda adhuc erit in monogrammate litera C. Hæc habet Ciampinus, qui suam deinde ab aliis sententiam in medium producit his verbis: *Ego divinare tento si meam profero sententiam, dum hoc monogramma Johannes denotare asſero: sed qualis iste Johannes fuerit, fateor me ignorare.* Hunc autem Johannem, si Ciampini opinio recipi mereretur, octavum hujus nominis fuiſſe credibile putarem. Millinus tamen a Ciampino declinat, & hoc monogramma ad *Honorii* nomen trahi poſſe auguratur.

IV. Quicquid demum ſit de reſtauratione baſilicæ vel Nicolao, vel Johanni, vel potius Honorio tribuenda, deque inter auctores monogrammatis controverſia, alii viderint: ſolum in præſens nota dignum eſt quod apud Ciaconium in prima ejus editione, necnon apud Panvinium in epitome Pontificum de hoc marmoreo ſepto notatur. In vita nanque Paſchalis II. inter cardinales ab eodem Pontifice aſſumtos duos præ aliis enumerant Anaſtaſii nomine tituli ſancti Clementis, quorum alter junior dictus anno circiter ſupra milleſimum centeſimo duodecimo, iiſdem Panvinio & Ciaconio teſtibus, baſilicam reparavit, ejus nimirum abſidem muſivo opere inſtruxit, necnon epiſcopalem cathedram in aræ maximæ fronte tribus elatam gradibus ædificavit, idque etiam confirmat ejus nomen circa illam his notis exciſum: *Anaſtaſius*

presbyter cardinalis hujus tituli hoc opus cœpit, & perfecit. Hinc laudati auctores marmoreum itidem basilicæ septum ab eodem Anastasio cardinale conditum, vel restitutum fuisse conjectant; eique idcirco pro gentilitio stemmate præfatum monogramma circa illud insculptum tribuunt, unde conjecturam vehementiorem educunt. Sed omisso an conjectura hæc veri præferat imaginem, credibile tamen est Anastasium inter alias basilicæ restaurationes marmoream etiam septum exornare potuisse, ut satis adstipulari videntur vetera carmina in prima septi fronte descripta, quæ rudis illius ævi, quo vixit Anastasius, sapiunt antiquitatem.

V. Inter priscos deinde basilicæ titulares, qui ejus instaurationi summopere profuerunt, frater Jacobus Thomasius Cajetanus Anagninus ordinis Minorum sancti Francisci, Bonifacii VIII. sororis filius ab eodem inter presbyteros cardinales relatus enumeratur. Hic suum sancti Clementis titulum anno millesimo undetrecentesimo liberali manu reparandum curavit, sicut obscura atque obsoleta hæc carmina testantur musivo & deaurato charactere in absidis facie ad lævam super armarium ab ipso itidem conditum descripta:

Ex annis Domini prolapsis mille ducentis
Nonagintanovem Jacobus collega Minorum

Hujus

Hujus basilicæ tituli pars cardinis alti
Hac jussit fieri, quo plausit Roma nepote,
Papa Bonifacius octavus Anagnia proles.

Ornavit enim absidem basilicæ musivo opere, seu potius vetus temporis edacitate corruptum ad priorem formam revocavit; ibique inter alia plura ornamenta longa cernitur vitis, quæ vario opere & colore hinc inde diffusos ramos portendens, e stipite exsurgentem præfert crucem, cui Christus Dominus affixus est, dispositis ab utroque latere passionis sociis Maria virgine & Johanne apostolo. Hemicyclum absidis totum comprehendunt propagines, in quarum curvaturis graphice expressi sunt quatuor ecclesiæ Doctores, & variæ volucrum species. Sacras insuper reliquias basilicæ elargitus, in muro post vitem sanctæ crucis recondidit particulam, necnon dentem unum sancti Jacobi apostoli, atque alterum sancti Ignatii martyris, sicut in inferiori parte hemicycli hæc circumscripta exprimunt carmina:

Ecclesiam Christi viti similabimus isti, [*tem:*
Quam lex arentem, sed crux facit esse viren-
De ligno Christi, Jacobi dens, Ignatiique
In suprascripti requiescunt corpore Christi.

De hisce basilicæ ornamentis, quæ Ciaconius & Ugonius Jacobo cardinali vendicant, Millinus in

 suo

suo codice discrepat, & præfatum duntaxat armarium condidisse putat, ceteraque Anastasio cardinali potius tribuenda contendit.

VI. Sedente Pio II. Pontifice Bartholomæum Roverellam tituli sancti Clementis presbyterum cardinalem sacellum in capite dextræ navis divo Johanni Baptistæ sacrum ædificasse non levis conjectura suadet, quæ primum ab antiqua vitrea ejusdem sacelli fenestra ejusque forma deducitur, ubi veterum more depictum cardinalis Roverellæ gentilitium insigne spectatur, deinde ab ejus pernobili sepulcro, quod apud sacellum eximio artis opere exstructum est. Hunc sequitur Antonius Venetius a Sixto IV. tituli sancti Clementis cardinalis creatus, qui basilicæ sacrarium vel ornavit, vel reparavit, ut ejus familiæ insignia super ejusdem sacrarii januam insculpta docent. Quod etiam præstitit Dominicus cardinalis de Ruvere ab eodem Sixto Pontifice Romanæ ecclesiæ cardinalibus titulo itidem sancti Clementis adscriptus, cujus locuples est testis gentilitium ejus stemma intus dextrorsum excisum e regione alterius, quod arbitror clarissimi cardinalis Oliverii Carafæ Dominici æqualis.

VII. Elapsis postmodum plurium annorum curriculis fratrem Johannem Alvarez de Toleto ordinis Prædicatorum a Paullo III. inter cardinales titulo sancti Clementis cooptatum porticum basilicæ

licæ adhærentem ampliorem in formam redegisse, novo desuper addito ædificio, ejus familiæ insignia forinsecus super eandem porticum variis coloribus expressa significant. Mox Vincentius Laureus a Gregorio XIII. Pontifice sancti Clementis titulo in cardinalium collegium assumtus tabulatum, quod super basilicæ majorem januam inculto opere erectum est, ac rudi colorum ornamento elaboratum, in odeum ad sacra celebranda officia cœnobitarum commoditati ædificavit; idque indicat ejus gentilitium stemma ibi depictum, quod etiam lapideum super minorem basilicæ januam exterius intuemur, ubi & illud eminet magni Pontificis Sixti V. de hac etiam basilica emeriti, qui laterale hoc ostium, quum viam ab amphitheatro magnifice straverit ad Lateranum, faciliori ad illam fidelium accessu aperuit & ornavit. Ab hinc morem invaluisse persuasum habui Romanum clerum in litaniis, quas vocant *Rogationum* feria tertia novam januam ingredientem hanc invisere basilicam, deinde ab episcopo oratione de sancto Clemente habita, e majori exeuntem pergere ad Lateranum.

VIII. Fratrum sancti Ambrosii ad Nemus impendio, qui basilicam & cœnobium incoluerunt, turrim campanariam a fundamentis instauratam fuisse monent ipsius monasterii insignia (ab illis tunc usurpata) quæ anchoram exhibent, exstrinsecus ad

ad austrum superimposita, & alibi sparsim in cœnobio sculpta. Illam vero recentiorum temporum ædificium esse ejusdem cæmentitium opus, necnon recens structuræ forma testantur. Johannes Angelus Ruffinellus anno sexcentesimo decimoseptimo ultra millesimum sacellum aliud in fronte sinistræ navis Nativitati Virginis sacrum eleganti opere exstruxit, ut sepulcralis ejus epigraphes in pavimento ante aram defixa docet, cujus hæc verba sunt:

D. O. M.

Johannes Angelus Ruffinellus Mediolanensis
Sacellum a fundamentis exstructum
Sanctæ Virginis Nativitati dicavit,
Sepulturæ locum sibi
Posterisque suis delegit
Anno M DC XVII.

IX. Præterea inter hujus basilicæ largitores recensendus merito est claræ memoriæ Franciscus cardinalis Maidalchinus post Camillum cardinalem Pamphilium Innocentii X. ex fratre nepotem monasterii sancti Clementis abbas commendatarius, quo vita functo excelsi animi princeps Petrus Othobonus Romanæ ecclesiæ Cardinalis Vicecancellarius apostolici Senatus decus & ornamentum ejusdem

dem commendam obtinuit. Exstinctis enim, Urbano VIII. sedente, fratribus sancti Ambrosii ad Nemus, sancti Clementis monasterium alteri sancti Pancratii extra Urbem conjunctum fuit, & Romanæ ecclesiæ cardinali ab Innocentio X. commendatum, quod olim etiam, Eugenio IV. Pontifice, eorundem fratrum juris fuisse scribit Lubinius. Hoc ergo sancti Clementis cœnobium, ejusque basilicam cardinalis Maidalchinus anno millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo fratribus sancti Sixti ordinis Prædicatorum, Innocentio X. antea permittente, perpetuo concessit; eorumque pietate ac studio insignis adeo basilica religioso admodum cultu & rerum divinarum ministerio conservatur. Hujus documentum præbet marmorea tabula in ingressu cœnobii super interiorem januam posita his verbis:

> *Innocentii X. Pontificis maximi auctoritate eminentissimus dominus Franciscus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis Maidalchinus sanctorum Clementis & Pancratii abbas commendatarius cœnobium hoc & basilicam sancti Clementis fratribus sancti Sixti ordinis Prædicatorum eximia benignitate perpetuo concessit die* XXX. *Maii* MDCLXVII.

Mona-

X. Monasterio item sancti Clementis Pontifex Eugenius IV. olim hujus tituli cardinalis liberali animo profuit, quum ei scilicet anno quadringentesimo tricesimoquarto supra millesimum sancti Pastoris de Urbe ecclesiam in via majori positam Pontificia auctoritate ac singulari diplomate adjunxerit, quod in archivo coenobii sancti Pancratii adservari notat Lubinius. Huc demum spectant quae eminentissimus Cardinalis Thomas Maria Ferrarius basilicae titularis eidem exhibuit munificentiae argumenta, qui ad annuam sancti Clementis sollemnitatem omni ornamento celebrandam totum admovet animum. Sed multa etsi hactenus in basilicam prodiderit liberalitatis testimonia, majora tamen ejus in sacras aedes solicitudo pollicetur.

XI. Quoad alia Pontificum largitate huic basilicae collata beneficia, sanctus Gregorius Magnus, ut capite sexto scriptum est, illam spirituali thesauro donavit, annuam nempe stationem pro feria secunda post secundam Dominicam quadragesimae eidem addixit. Praeterea Gelasium itidem Romanum Pontificem tradit Ugonius quotidianam quadraginta annorum totidemque quadragenarum indulgentiam, & duplicem in quadragesima eandem basilicam visitantibus concessisse: quis autem fuerit hic Gelasius incertum est; tamen Vaticanus codex Francisci del Sodo primum hujus nominis

minis fuisse observat, easdemque quas ipse dederat indulgentias, Alexandrum III. confirmavisse. Paucis itidem ab hinc annis, scilicet ultra millesimum sexcentesimo nonagesimoseptimo sanctæ & immortalis memoriæ Innocentius XII. ad preces eminentissimi Cardinalis Ferrarii libentissime inclinatus diebus sancto Clementi Papæ, & sancto Ignatio episcopo sacris basilicam hanc plenaria indulgentia perpetuo locupletavit, cujus diplomatis exemplar marmoreo lapide insculptum nuper in porticu basilicæ idem optimus Cardinalis omnibus palam exposuit:

INNOCENTIUS PP. XII.

Universis Christi-fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem.

„ Ad augendam fidelium religionem & animarum salutem cœlestibus ecclesiæ thesauris pia „ charitate intenti, ac supplicationibus dilecti filii „ nostri Thomæ Mariæ Ferrarii tituli sancti Clementis sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri Cardinalis sancti Clementis nuncupati nobis super „ hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & „ singulis utriusque sexus Christi-fidelibus vere „ pœnitentibus & confessis ac sacra communione

„ refectis, qui ecclesiam ejusdem sancti Clementis
„ de Urbe fratrum ordinis Prædicatorum in ipsius
„ sancti Clementis ac sancti Ignatii martyris festis
„ diebus a primis vesperis usque ad occasum solis
„ dierum hujusmodi devote visitaverint, & ibi
„ pro Christianorum principum concordia, hære-
„ sum extirpatione, ac sanctæ matris ecclesiæ exal-
„ tatione pias ad Deum preces effuderint, qua die
„ prædictorum id egerint, plenariam omnium pec-
„ catorum suorum indulgentiam & remissionem
„ misericorditer in Domino concedimus, in con-
„ trarium facientibus non obstantibus quibuscun-
„ que: præsentibus perpetuis futuris temporibus
„ valituris. Datum Romæ apud sanctam Mariam
„ majorem sub anulo Piscatoris die tertia De-
„ cembris MDCXCVII. Pontificatus nostri anno
„ septimo.

CA-

CAPUT IX.

Descriptio exterioris & interioris basilicæ sancti Clementis, cujus singulæ partes historico commentario illustrantur.

I. Antiquam sancti Clementis basilicam, quam hodie cum veteri ejus cœnobio fratres ordinis Prædicatorum obtinent, sancti Gregorii ætate monachorum ministerio addictam fuisse levi prorsus quorundam auctorum opinione perhibetur. Ibidem deinde canonicos rei divinæ cultui paruisse scribit Floravantes Martinellus, nisi canonicorum nomine prioris ecclesiæ presbyteros explicandi mens fuerit, quos revera, ut passim in aliis Urbis basilicis invaluerat consuetudo, in eadem etiam sacra fecisse exploratum est ab ipsis basilicæ partibus, quæ hujus conjecturæ certissima sunt argumenta. Præterquod ad tempora usque Honorii III. ejus curam apud presbyteros fuisse idem Honorius testatur in suo libro Cencii Camerarii nomine circumlato, ubi, ut in superioribus prænotavi, litaniam majorem

describens, quam die sancto Marco euangelistæ sacra Pontifex habet e Laterano ad sancti Marci basilicam, sancti Clementis ecclesiæ clericorum luculentissime meminit. Hac postremo basilica fratres sancti Ambrosii ad Nemus potitos fuisse apud omnes, ut arbitror, in comperto est. Horum ordo sic dictus legitur, quia, ut tradit Paullus Morigia libro primo capite quadragesimoquinto de originibus Religionum, sub invocatione sancti Ambrosii conditus est Mediolani in loco extra muros, ubi sancti archiepiscopi tempore nemus fuit, in quod aliquando secedere consueverat, ut negotia fugaret & divinæ contemplationi vacaret. Anno autem supra millesimum quadringentesimo quadragesimoprimo decem post annos ab eorum institutione, Eugenio IV. Pontifice, sub una congregatione redacti fuerunt, deinde cum fratribus sancti Barnabæ provinciæ Marchiæ & Genuæ a Sixto V. simul uniti sunt, ac demum quum sedente Urbano VIII. defecerint, sancti Clementis monasterium in commendam migravit.

§. I.

Partium exteriorum descriptio.

II. Verum singillatim basilicæ partium descriptionem aggrediendo, illam in secunda re-


regione Cœlii montis in via Labicana versa ad orientem facie sitam esse superius satis exposui. Disponi enim ecclesiarum situm veteri Christianorum ævo, ut orientem spectarent, auctor Constitutionum apostolicarum libro secundo capite sexto ibi monet, ubi de ecclesiæ structura loquens: *Primum quidem* (inquit) *sit longa, & ad orientem conversa*. Hoc idem significant Tertullianus in libro adversus Valentinianos capite altero, Paullinus in epistola duodecima ad Severum, aliique; ad imitationem scilicet templi Salomonis, quod ad orientalem plagam conversum fuisse Aristeas affirmat. Porphyrius quoque & Lucianus apud Ethnicos statuas & ingressus orientem prospexisse tradunt, quo ad occasum funderentur preces. Alii, & forte certiori sensu, ut scribit Cardinalis Baronius ad annum quinquagesimumseptimum, putant priscorum fidelium ecclesias versa fronte ad occidentem erectas fuisse, ita quod in faciem solis orarent. Utcunque fuerit, viguit hujusmodi ritus observantia etiam apud Christianos, ut notat vir doctus & ob reconditam sacræ antiquitatis eruditionem singularis Pompeius Sarnellus Vigiliarum episcopus in sua Basilicographia capite tertio, usque ad Diocletiani Imperatoris ætatem: Constantino enim imperante paullatim obsolevit, promiscue siquidem & versus ortum, & versus occasum fabricabantur ecclesiæ: verum tamen si ecclesia por-

portam majorem versus orientem habuerit, ritus fuit, ut animadvertit Guillelmus Durandus libro quinto capite secundo Rationalis divinorum officiorum, quod sacerdos facie ad orientem celebraret; & si ostium habuerit ad occidentem, quod in salutatione ad populum se converteret. In hac autem sancti Clementis basilica ara major ita extructa est, sicut in aliis Urbis basilicis, quod sacerdos ad populum faciem habeat, & orientem prospiciat.

III. Observato itaque orientali basilicæ situ, ob oculos sese objicit prothyrus sive parva porticus, sub qua sanctus Servulus vitam traduxisse vulgo fertur, quatuor e numidico marmore suffulta columnis, quarum bases, quia a terra obrutæ, non apparent. Duæ vero anteriores jonicis donantur epistyliis, & invicem ferrea quadam quadrata virga utranque suis extremis tangente connectuntur. Excurrunt per ferream virgam anuli tres item ferrei, quorum ope, ut putat sæpecitato loco Johannes Ciampinus, appensa olim detinebantur vela, dum festis diebus sollemnioribus templa prisco ritu ornabantur: deinde aliæ duæ columnæ muro adhærentes corinthiis instructæ epistyliis, zophoris, & coronis multiplici ornamento illustrantur. Fulcitur hisce partibus testudo crucis in morem adsurgens decussata concameratione, & pictura olim concinnata, cujus vestigia temporis decursu

sen-

TAB·I.



sensim erosa vix hodie supersunt. Tota prothyrus latitudine palmorum septem constat, longitudine decem, cujus ostium palmorum pariter decem latitudinem non excedit. Porro quoad veterum basilicarum structuram sic erant earum singula membra disposita, ut quantum in re parva licebat, similitudinem quandam Jerosolymitani templi præseferrent; quippe quæ exterius complectebantur atrium, exedras, porticum, & vestibulum: interius vero narthecem, marmoreum septum, soleam, cancellos, sanctuarium, tabernaculum, pastophoria, presbyterium, & tribunam, necnon alia id genus plurima, omnia ad diversorum ordinum officia accomodata. Hæc membra, hancque structuræ formam ex parte in iis adhuc intuemur basilicis Constantini sæculo ædificatis, quas nonnisi juxta primam antiquiorum illarum speciem, quæ sub Diocletiano prostratæ fuere, restitutas arbitratur Baronius. Quum autem plura sacræ hujus antiquitatis monumenta præ aliis Urbis basilicis in hac sancti Clementis basilica hactenus incorrupta supersint, ideo de illis singillatim disserere operæ pretium me facturum existimavi.

IV. Perspecta hucusque prothyro sive parva illa porticu, per quam ad ambulacrum, quod olim porticus fuit longitudinis palmorum circiter viginti patet ingressus, atrium occurrit sive area aperto cœlo longitudinis palmorum octogintatrium, latitudinis

dinis octogintaseptem. Dexteram ejus ornat porticus senis numidicis sustentata columnis, quarum prima post ingressum duabus e pario marmore componitur partibus. Porticum etiam a sinistris antiquitus fuisse conjectura observat Millinus in codice Vaticano, necnon vetera quædam indicant vestigia. Omnem olim ecclesiam hoc atrium habuisse parietibus ex tribus partibus circumclusum, & cuique parieti porticum adhæsisse scribit Sarnellus capite sexto: illæ vero tres porticus simul in forma claustri connexæ jungebantur cum quarta ecclesiæ proxime adhærente. Id sanctus Cardinalis Carolus Borromæus ecclesiasticæ vetustatis amantissimus præsul in suis instructionibus de fabrica ecclesiæ libro primo capite tertio tomo secundo parte octava Actorum Mediolanensis ecclesiæ adimpleri servarique sanxit his verbis: *Atrium præterea in fronte sacræ ædis pro areæ ratione, proque ædificii ecclesiastici structura fiet intus ab omni parte porticibus cinctum, alioque decenti architecturæ opere ornatum*. E latere hujus atrii ante dexteram porticum, per quam adpositis scalis in cœnobium adscenditur, puteus adstat vetustis circumstructus lapidibus, qui aliquid sapit antiquitatis. Præ foribus enim basilicarum aquas salientes, seu puteos & cantharos, conchas vel fontes aquæ communis olim constitui solitos testantur Cardinales Baronius in Annalibus ad annum quinquagesimumseptimum,

&

& Bona in libro primo capite vicesimo rerum Liturgicarum, idque Christianos consuevisse, nec illotis manibus sacris adessent: quod etiam clericorum, & sacerdotum fuit usus, ut monent sanctus Paullinus in epistola ad Alethium, necnon Tertullianus in libro de oratione capite undecimo, aliique antiquorum plures.

V. Proxima deinde basilicæ adsurgit porticus, quæ locus est amplior & coopertus, sive tectum humilioris situs ab ecclesiæ tecto, quod sublimius erigitur, distinctum, ubi quatuor numidici marmoris columnæ jonicis elaboratæ epistyliis, doricisque basibus erectæ sunt. Sinistrorsum campanaria turris eminet recentiorum temporum opus: dextrorsum sub arcu inter duas columnas in pavimento perantiqua hæc jacet inscriptio cujusdam Romani basilicæ presbyteri titularis, quem illum putat Millinus ab Alexandro II., Panvinio teste in epitome Pontificum, inter cardinales cooptatum:

Istius ecclesiæ speculum rectorque beatus
Qui fuit, hoc tumulo mortuus ecce jacet.
Mortuus ecce jacet mundo, sed vivit in illo,
Qui nunquam moritur, nec moriturus erit.
Ecce jacet cleri spes, custosque pupilli,
Pauperis auxilium, cura benigna Dei.
Presbyter iste quidem, Romanus nomine, cujus
Centenis annis vita beata fuit.

Nn Sub

Sub hac porticu, sicut in aliis Urbis basilicis veterum fuit consuetudo, primus ordo publice pœnitentium adstabat. Horum ordines sive stationes, ut late disserit Johannes Morinus in Commentario de sacramento pœnitentiæ libro sexto capite primo & sequentibus, quatuor erant, *flentium* nimirum, *audientium*, *substratorum*, & *consistentium*. Et licet Johannes Raithu in scholiis ad scalam sancti Climaci quinque adstruat pœnitentium classes, addens scilicet illam *subsequestrantium*, tamen Morinus unam eandemque cum illa substratorum confundit. Flentes ergo ii sunt, qui locum habent in porticu extra portam basilicæ, & ab ingredientibus, vel egredientibus fidelibus precum subsidium expostulant, & a Deo peccati condonationem implorant. Hinc Johannes Cabassutius in dissertatione decima Notitiæ ecclesiasticæ sæculi secundi se assentiri minime posse fatetur scriptori tametsi peritissimo, Morino nempe, qui pœnitentium secundæ classis hoc est audientium stationem in hac ipsa porticu locat, depellitque ab ea primam, scilicet flentium, quos ad aream sub dio vult omnino ablegatos: quam Morini sententiam ille respuit, & ibi merito ponit flentium stationem. Dissidium hoc opinionum aliqua ex parte componit cardinalis Bona in prælaudato libro capite decimoseptimo, necnon episcopus Sarnellus capite octavo, qui tradunt flentium classem in

in casu gravioris delicti sub porticum ecclesiæ non recipi, sed ante illam consistere in atrio aperto cœlo, quo nimirum casu flentes vocarentur, sed *hyemantes*, ut etiam testis est Tertullianus in libro de pudicitia, & Ancyranæ synodi canon decimusseptimus: hujus generis inter hyemantes olim erant majori excommunicatione percussi, & ab ecclesia prorsus præcisi. Pauperum quoque stationem, qui eleemosynam ad fores petebant, sub hac ipsa porticu fuisse, ne ecclesiam intrantes orantium preces turbarent, docet sanctus Johannes Chrysostomus in homilia vicesimaoctava: *Propterea* (ait) *ante ecclesias martyrum monumenta præ foribus pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis*.

VI. Post atrium & porticum ante basilicam unica hodie succedit porta, per quam fit ingressus ad majorem basilicæ navem. Basilicas antiquitus quot naves tot portas habuisse putant rerum sacrarum auctores, unam scilicet priorem & ampliorem, aliasque minores ad ejus latera, ut nimirum viri & mulieres seorsim sacras ædes ingrederentur; & sicut virorum portæ ostiarius præerat, ita diaconissæ demandata erat cura mulierum: hunc enim veterum morem fuisse indicant plures Constantini sæculo erectæ basilicæ, quibus quot naves, tot portæ sunt. Verum basilica sancti Clementis etsi quot naves hodie tot portas non habeat, olim tamen

habuisse credibile existimavi, quum revera facella, quæ modo exstant in loco, ubi minores januæ esse poterant, inferiorum temporum arguant antiquitatem.

§. II.

Partium interiorum descriptio.

VII. Tota ergo basilica parallelogrammi figuram obtinet, cujus longitudo est palmorum ultra centum octogintaocto, latitudo vero centum & trium, atque omnibus Ethnicorum basilicarum partibus constat. Forma ita oblonga est in modum navis, quemadmodum esse jubet liber secundus Constitutionum apostolicarum, quia hoc pacto, ut notat Johannes Stephanus Durantus in libro primo capite tertio de antiquis ecclesiæ ritibus, *monemur nos in mundo versari tanquam in mari, quod ventorum vi agitari atque turbari solet, nec aliter quam in navi ecclesiæ tuto trajici potest.*

VIII. Tribus distincta est navibus basilica, quibus parvæ supereminent hodie occlusæ prisca forma fenestræ latioribus hinc inde in majori navi recentiori structura reseratis. Hæ naves absque ullo lapideo fornice sive laqueari, juxta veterum Christianorum usum, rudi mole constructæ sunt, & vix ullum



ullum inter se ordinem servant; media nanque palmorum quinquaginta trium latitudinem habet, dextera, quæ ad boream respicit, undeviginti, sinistra demum, quæ ad austrum tendit, viginti quinque: & reipsa hanc in navibus amplitudinis discrepantiam consulto potius quam casu observatam esse, putat Ciampinus, eamque alibi etiam se observasse testatur. Columnæ, quæ naves formant, diversi ordinis & lapidis sunt; duæ nanque tribunæ propiores ex marmore numidico, sequentes duæ ex pario marmore constant: quibus duæ aliæ accedunt itidem ex numidico, deinde duæ aliæ ex pario pariter striatæ, quarum omnium altitudo palmorum est circiter triginta. Has columnas excipiunt duæ lateritiæ pilæ latitudinis palmorum decem antiquissimis imaginibus depictæ. Post pilas eodem ordine aliæ ex pario marmore adstant columnæ, item duæ aliæ, quarum altera ex pario, altera ex numidico, hinc sequentes pariæ sunt, & demum ex duabus ultimis altera non apparet, quia muro inclusa, altera vero ex pario etiam muro cohæret. Basilicæ pavimentum ex opere tessellato multiplici lapide permixtum affabre elaboratum est, quamvis hodie annorum diuturnitate ex parte confectum. Area basilicæ tota in eodem horizontali plano non sistit, sed presbyterium, altare majus, & proximæ partes elevatiores sunt, itaut ad illas per plures gradus ascendatur. Verum tamen ut singula basilicæ hujus monu-

monumenta luculentius pateant, tota basilica interior distinguenda est in tres partes, quarum prima sese offert hæc ipsa major navis a priori porta, usque ad marmoreum septum, quam describendam aggredior.

Interioris basilicæ

PARS I.

IX. Primum itaque super hanc priorem basilicæ januam tabulatum quoddam eminet a Vincentio cardinali Laureo in modum chori pro divinis officiis ædificatum, ac rudi arte depictum, ex quo hodie pendent temporis edacitate consumti novem rubei galeri, eorum scilicet cardinalium, qui in basilica sepulti sunt. Ex utraque januæ parte parieti expressæ antiqua forma plures spectantur sacræ imagines, sed pene corruptæ ab anno usque quadrigentesimo sextodecimo supra millesimum depictæ, ut ad lævam prope ostium se vidisse tradit Millinus in suo MS. codice, qui & pictoris *Salli de Cellano* effigiem atque nomen vidit. Paullo ultra tam in ala dextera quam in sinistra binæ Deiparæ Virginis priscæ imagines fidelium venerationi exhibentur: quæ dextrorsum spectatur, parva adposita ara, Christum Dominum recens natum admiratur & colit, eique socius hæret sanctus Josephus Virginis

ginis sponsus: alteraque ulterior sinistrorsum, circa quam multæ ex voto tabulæ pendent, media est inter sanctos Sebastianum & Rocchum recentiori aliquantulum ornamento distincta, cui inscripta subditur epigraphes:

TRANSITE AD ME OMNES,
QVI CONCVPISCITIS ME.
Eccl. xxiv.

Medio deinde ejusdem navis pavimento marmorea jacet cardinalis Laurei sepulcralis tabula ære circumornata cum stemmate pariter æreo, supra quam hæ leguntur notæ:

D. O. M.

Hic jacet Vincentius Laureus
Tit. S. Clementis presbyter cardinalis
Montis-regalis nuncupatus.
Obiit xii. *Kal. Ian.* mdxcii.
Religio ministrantium infirmis hæres
optime de se merenti ex test.
posuit.

Mox alia Aloysii Guarnerii cardinalis Laurei nepotis infra accedit, cujus hæc est inscriptio:

Aloysio

Aloysio Guarnerio
Iacobi Antonii F.
Vincentii Laurei cardinalis
Montis-regalis ex sorore nepoti
Opt. spei adolescenti.
Iulius Cæsar Guarnerius
Episcopus Campanien.
Patruus mœrens P.

In pavimento itidem e dextro latere sub intercolumnio e regione sacrarii paullo super aquæ benedictæ fontem hujusmodi exstat epitaphium:

Quod perago, Clemens, Crescentius excipe [ste, san-
Ferque tui mihimet auxilium jugiter.
Ut te perpetuo teneam qua gaudia semper
Cardinalis ovans, me tibi consocians.

X. Quid autem sacræ antiquitatis olim præferret hactenus descripta basilicæ navis, breviter hic subjicere existimavi. Quamobrem prætermittendum est veteres Græcos, atque Latinos in duas tantum partes ecclesias distinguere consuevisse, in *aulam* scilicet sive *atrium laicorum*, & in *sanctuarium*, in quo solum consistere episcopis, presbyteris, & diaconis licebat; idque Franciscus Bernardinus Ferrarius de sacris concio-

nibus libro tertio capite quinto ex epistola Gentiani Herveti confirmat. Orientales deinde monachi cœperunt illas in tres partes dividere, *narthecem* scilicet addiderunt, in qua nonnulla rerum sacrarum agebant. Narthex, ut Leo Allatius in epistola de narthece erudite observat, a porta ecclesiæ ad murum usque intermedium sive tabulatum pertingebat, & mediæ navis pars erat, hujus altera pars a muro sive tabulato sanctuarium versus accedebat, postrema demum *marmoreum chorum*, post quem erat *solea*, inde *cancelli* sanctuarii, *tabernaculum*, *pastophoria*, atque alia insigniora ejusdem navis membra complectebatur. Idem Leo Allatius in epistola prima de templis Græcorum narthecem animadvertit locum esse intra ecclesiam; ibique arrepta occasione Theorianum explicat, qui illam extra ecclesiam locat, non quod scilicet extra sit locus divisus ita appellatus, sed quod ab ecclesia strictiori sensu sumta, in qua sacerdotes ceterique clerici stationem habent, separetur, qui idcirco *protempli* nomine, hoc est ante templum ab aliquibus nuncupatur, quum revera templum non sit, sed extra circuitum & ambitum templi stricto vocabulo accepti. Sive, ut Allatius itidem in epistola de narthece luculenter scribit, dicitur in ecclesia narthex, quando iisdem, quibus & ecclesia, muris circumscribitur: dicitur extra, quando piis duntaxat fidelibus ecclesia patet, nec in ea infideles & improbi,

nisi pœnitentia scelera expiaverint, locum habent; & tamen extra ecclesiæ reliquæ muros non collocatur. Quibus itaque conciliari possunt, Allatio duce, antiqui scriptores, qui narthecem extra ecclesiam sitam fuisse tradiderunt.

XI. Præterea in hac ipsa ecclesiæ parte, quam *propylæum* vocat cardinalis Bona, aliam auctores collocant pœnitentium classem, scilicet audientium, qui divinas scripturas, communisque doctrinæ explicationem audiebant: ubi & aliis quinque hominum generibus locus erat, ethnicis videlicet, judæis, hæreticis, schismaticis, & primi generis cathecumenis. At Morinus hanc pœnitentium stationem, quam eruditi omnes intra ecclesiam communiter locant, in vestibulo tantum ecclesiæ ad limen usque portarum constituit; quod tamen ita mathematice intelligendum non esse, inquit, ut paullo amplius progredi ad facilius audiendum piaculare fuerit; in majoribus nanque ecclesiis, præsertim post Constantini tempora, auditionis statio interioris ecclesiæ extremam partem portas ejus attingentem complectebatur: narthecem enim ipse vocat quicquid ecclesiæ superaret ad portas usque exteriores, quas etiam continebat; unde in illorum videtur venire sententiam, qui duplicem asseruerunt narthecem, interiorem videlicet & exteriorem: in interiori monachorum, idiotarum, laicorumque fidelium, & in inferiori ejus

parte

parte usque ad exteriorem narthecem catechumenorum, ac pœnitentium substratorum locum admittebant; quos tamen post chorum constitisse acceptior fertur opinio. Classis hæc pœnitentium substratorum jejuniis, precibus, humicubationibus, aliisque laboriosis operibus afficiebatur, in quorum statione, ut notat cardinalis Bona, locum item obtinebant cathecumeni secundi & tertii generis, atque energumeni. Hi pœnitentes ab ecclesia recedebant ante offertorium simul cum audientibus, & primi generis cathecumenis ad vocem diaconi proclamantis: *Exeant qui non communicant de ecclesia*; remanentibus tantum ad finem usque collectæ pœnitentibus quartæ classis, qui consistentes appellabantur, quorum statio erat a choro versus sanctuarium una cum fidelibus precantibus & psallentibus, sed a Sanctorum participatione arcebantur, donec statuto tempore elapso, divinæ communionis in partem ceteris associarentur. Verum licet in hac hodie basilica omnia non appareant veterum illarum stationum monumenta, tamen quia antiquitus non defuerunt, illa idcirco summatim placuit attigisse.

Interioris basilicæ

PARS II.

XII. HActenus media navi descripta interioris basilicæ prima parte, ad reliquæ ejusdem navis descriptionem accedimus, quæ insigniora sacræ vetustatis continet documenta. Id præ omnibus valde præstat marmoreum septum forma oblongi chori ad humanam ferme staturam exstructum, quod adhuc in hac basilica temporis edacitati ereptum omni ex parte integrum intuemur; quale suo ævo describunt sanctus Athanasius in Apologia de fuga, & sanctus Gregorius Turonensis de gloria martyrum capite nonagesimoquarto. Primum autem de nomine non leviter dissident scriptores, alii siquidem unum *ambonis* vocabulum tribuunt, alii vero ambonis vocem diverso sensu usurpant. Durandus, Durantus, Macrius, Ciampinus, aliique plures de sacris veterum ritibus disputantes pro ambone marmorei septi partem intelligunt, hoc est peribolum sive pulpitum, nominis originem ad vocem græcam, quæ *suggestum* latine sonat, referentes. Hos refellunt ex recentioribus Cabassutius & Sarnellus, qui ambonem explicant marmoreum hunc chorum cum omnibus partibus circumseptum, ita quod pulpitum diaconi, aliud minus

minus subdiaconi, & lectorum legile, istius, quem vocant ambonis membra putent. In hujus opinionis præsidium, præter canonem decimum concilii Carthaginensis quarti, Laodicenæ synodi quintumdecimum canonem sibi adsciscunt, qui hæc habet: *Non oportet præter canonicos cantores, qui ambonem ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in ecclesia*; at perperam, meo quidem judicio, hunc sibi canonem vendicant, quin potius adversa Duranti, aliorumque, quibus & ego assentior, confirmetur opinio.

XIII. Marmoreum hoc septum, quod *scholam cantorum* sive *chorum* antiqui dixerunt, omnibus plane partibus in hac basilica absolutum admiramur, cui varia forma plurimæ utrinque excisæ



sunt cruces, medio ad externa latera superallato hoc monogrammate. In fronte majoris ingressus summo loco seorsim Langobardico charactere expressa leguntur carmina alibi transcripta, sed longo annorum spatio pene corrupta:

Hac jacet ecclesia Clemens sanctissimus, æquor
Quem diu celavit, hunc ego corde precor.

Majorem hunc chori ingressum olim veteres *portæ speciosæ* nomine appellabant. Quatuor plerunque erant chori portæ, geminæ ad navim spectantes voca-

vocabantur *speciosæ*, quæ templum a narthece dividebant, aliæ geminæ ad sanctuarium aditum præbentes dicebantur *sanctæ*. Harum cura & custodia subdiaconis incumbebat, quibus prohibent synodi Laodicenæ canones vicesimusprimus & vicesimussecundus ab illis recedere, necnon in diaconium vel sanctuarium se ingerere. Verum in choro hujus basilicæ sancti Clementis, ut etiam notavit Sarnellus capite vicesimoquinto, unica tantum est porta speciosa; ejusque deinde portas sanctas duplicem illum esse arbitror ingressum, qui prope confessionem hinc inde patet. Intra chorum clerici minores cantoresque locum habebant, ut testantur sanctus Augustinus in psalmum centesimum undequinquagesimum, & sanctus Isidorus in libro de genere officiorum capite tertio, atque ex concilio Turonensi secundo canone tertio proditum est: his vero duntaxat & non aliis licebat canere, ut præfati Laodiceni canonis auctoritate statuitur.

XIV. Ad ejus hinc latera elegantissime exstructi marmorei ambones sive pulpita adsurgunt, quorum major ab australi parte duplici ascensu aditur. Ibi in missa sollemni diaconus evangelium versa ad aquilonem facie legebat, ibique proclamabantur Pontificum edicta & jussiones, denunciabantur anathemate perculsi, recitabantur e diptycis fidelium quum viventium tum defunctorum nomina, atque ad populum a diaconis & presbyteris

habe-

habebantur ſermones. Proxime huic ſedile marmoreum ſubeſt forte illi ſimile, quod eſſe jubet liber ſecundus Conſtitutionum apoſtolicarum capite quinquageſimoſeptimo, & cujus meminit ſanctus Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. Infra verſus orientem lapideum adſtat candelabrum opere teſſellato, quemadmodum & pavimentum, elaboratum, quod Sarnellus capite viceſimoquarto erectum exiſtimat, ut cereum pro euangelii lectione ſuſtineret: alii vero, ut notat Ciampinus prælaudato capite ſecundo, pro cereo duntaxat paſchali erectum fuiſſe arbitrantur. In alio deinde minori ambone ad aquilonem converſo, ad quem unico tantum aſcenſu patet aditus, epiſtola a ſubdiacono legebatur verſa ſemper facie ad altare nullo orientis ſive occidentis habito diſcrimine. Ex inferiori demum marmoreo legili in orientis proſpectu, ad quod per eandem hujus ambonis ſcalam aſcenditur, clerici lectores prophetias & ſacras lectiones ad populum recitabant, ubi & clerici cantores graduale ſive reſponſorium *alleluja* canebant: *Graduale enim* (inquit Honorius Auguſtodunenſis libro primo capite nonageſimoſexto de antiquo ritu miſſarum) *a gradibus dicitur, quia in gradibus canitur: reſponſorium itidem vocatur, quia, choro cantante, ab uno verſus reſpondetur, & illo verſum cantante, a choro pariter reſpondetur.* Hic tamen animadvertit Ciampinus legile hoc ad orientem

iis

iis tantum inesse ecclesiis, in quibus cantor stans in superiori ambonis gradu terga vertit ad orientem; si nanque ad altare conversus una pariter orientem prospiceret, in eodem & loco cantor consisteret ad canendum. Singulari item nota duplicem chori ambonem Ciampinus expendit, unde sancti Clementis basilicam præ aliis existimat antiquiorem; illa quippe duplicis ambonis structura ritum exhibet vetustissimum, quo diaconus evangelium lecturus modo ad aquilonem, modo ad austrum convertebatur, sicut testis est Romanus ordo his verbis: *Ipse vero diaconus stat versus ad meridiem, ad quam partem viri solent confluere, alias autem ad septentrionem*. Ritus iste priori ecclesiæ sæculo promiscuus erat, prout sese offerebat occasio, postmodum vero certus factus est, ut legentis facies aquilonem tantum respiceret, idque ex quorundam ambonum situ, qui adhuc in nonnullis Urbis basilicis superstites sunt, apparet. Super binos hinc inde marmorei septi muros quinque hodie duntaxat eminent cereostatæ, sive ferrei loculi pro facibus & cereis accomodati, quos olim plures fuisse posita ibidem indicant foramina. Facibus enim & cereis festivas vigiliarum noctes priscos fideles illuminare solitos fuisse tradit Sarnellus capite vicesimotertio, quum scilicet divina officia peragerent, & spiritualibus adstarent sermonibus; quos nocturnos veterum conventus *nocturnas con-*

voca-

vocationes vocat Tertullianus in libro secundo ad uxorem capite quarto, atque de illis testimonium perhibet concilium Matisconense alterum canone primo, necnon sanctus Cyprianus de oratione Dominica circa finem, aliique veterum nonnulli.

XV. Inter chorum & sanctuarium olim spatium erat potissimum apud Græcos ipsius chori pavimento aliquot gradibus elevatius *solea* dictum, quousque ad Eucharistiam sumendam accedebant laici, & cum eis clerici, qui ob aliquam culpam ad laicorum communionem fuerant redacti. Finiebatur solea ad cancellos usque, qui sanctuarium occludebant, & ab uno ad alium ecclesiæ parietem extendebatur. Laici extra cancellos stabant, sacerdotes vero & levitæ intra, ubi sacramentum clericis in solea, & ex solea laicis ministrabant; verum in hac sancti Clementis basilica solea desideratur, quandoquidem proxime post chorum ad sanctuarium ascenditur utraque ex parte marmoreis cancellis circumseptum, qui lapideis pariter cratibus retis ad instar perforatis ornati, quæ *transennæ* dicebantur, plures hinc inde medio allato monogrammate excisas præferunt cruces eodem ferme opere ac circa chori muros spectantur. Cancelli, quorum portæ *rugas* vel *regulas*, aut *regias* appellabant, teste Mabillonio in commentario ad ordinem Romanum capite tricesimoprimo, locum orationis designant, ad quos usque extrinsecus populus pertingebat; intrinsecus quip-

pe sanctuarium erat solis sacerdotibus & diaconis pervium. Sanctuarium pars fuit ecclesiæ sacratissima penitissimaque alio nomine *secretarium*, *sancta sanctorum*, *presbyterium*, & *tribunal* a latinis nuncupata, quam interjectis cancellis a reliqua ecclesia divisam fuisse rerum antiquarum scribunt auctores.

XVI. Hujus in medio sita est sub tabernaculo ara maxima, ubi sacerdos sacrum celebrans faciem ad populum conversam habet. Tabernaculum altari superpositum fornix est lapidea quatuor suffulta columnis eo simili structuræ genere, quo pleraque adhuc in Urbe visuntur veterum basilicarum altaria. Eidem *ciborii* nomen promiscue a Græcis atque Latinis tribuitur, ut passim legitur in libro Pontificum Anastasii, necnon illud *propitiatorii* voce idem auctor quandoque appellat, & *umbraculum altaris* vocat ordo Romanus. Sanctus Germanus Constantinopolitanus episcopus in historia ecclesiastica simile quoddam ævo suo describit eademmet prorsus forma, qua in nostra basilica exstructum est, constans nimirum superius ampla testudine, & quatuor inferius columnis totam aram ambientibus; idemque sanctus episcopus huic ciborii vocabulo græcam tribuit etymologiam latine *arca*, quod est *videre*, velut sit *arca visionis*, seu *manifestationis* Christi Domini Salvatoris. Latini vero id nomen a *cibo* deducunt, hoc est ab Eucha-

ristico

riftico pane, quo ad perennem vitam enutrimur. Aræ pallium pictura ornatum in profpectu bafilicæ expofitum fancti Ignatii Antiocheni epifcopi martyrium in amphitheatro per leones dilacerandi ab oculos ponit. Infra illud cellula prominet five fubterraneum facellum ferreo inaurato oftiolo obftructum, ubi fanctorum Clementis Papæ, & Ignatii epifcopi corpora requiefcunt. Ab hujus utroque latere eorum facræ imagines depictæ funt, fub illa inde fancti Clementis hifce duobus fuppofitis carminibus:

Impius infano te merfit in æquore Cæfar,
His pofitis aris nunc pia Roma colit.

Et fub altera fancti Ignatii his aliis:

Vicinum tibi probra tulit numerofa theatrum,
Hic tibi delatus probra rependit honos.

Cellula hæc five fubterraneum facellum intus veterum more eleganti concameratione ædificatum a Græcis *martyrium* vocatur tanquam martyrum fepulturæ deftinatum, & aliquando *memoriam*, five *fedem* vel *concilium martyris* aut *conditorium* antiqui dixerunt. A nonnullis quoque *confeffionis* nomine infignitur, ut fæpenumero inter alios confuevit Anaftafius in vitis Pontificum, a quo itidem

 loculi

loculi vocabulo appellatur. Verum confessionis nomine nedum sepulcrum martyris intelligitur, sed etiam, ut notat Belleth de divinis officiis capite tricesimotertio, locus ipse, in quo sacerdos ante missæ introitum consistit, unde non incongrue ab ipsa sacerdotis confessione martyrum sepulcra sub ara maxima basilicarum collocata sibi nomen obtinuerunt, quia nimirum in illis ecclesiis, ubi hæc constructa sunt, locus, in quo sacerdos confessionem recitat, eorum cellulis imminet, quas propterea *confessiones* prisci vocarunt: *Confessio namque* (ut explicat Petrus Urbevetanus in libro ordinis Romani) *est capsa, vel sepulcrum, vel ipsum corpus conditum sub altari*. Hoc autem basilicæ sancti Clementis altare maximum ibi unicum olim fuisse mea fert cum aliis opinio; is enim veterum fuit usus, qui unum tantum altare in sacris ædibus erigere consueverunt, ut recte significat sanctus Ignatius Antiochenus in epistola ad Philadelphios, necnon Eusebius in libro decimo capite quarto historiæ ecclesiasticæ, ubi vocat *altare unigenitum* quod in medio sacrarum ædium sanctuario sua ætate fideles habebant. Ea tamen omnia, quæ hodie in hac basilica apparent, inferiorum temporum esse opera prudens nemo inficiabitur. Multiplicata siquidem in basilicis fuerunt altaria, ut scribit Cardinalis Baronius ad annum quinquagesimumseptimum, ob plurima in earum singulis martyrum sepulcra, quæ

in

in minoribus navibus exstabant; & revera Gregorius Magnus in libro quinto epistolarum epistola quinquagesima de tredecim in una ecclesia ævo suo exstructis altaribus meminit.

XVII. Satis igitur illustrata hujus basilicæ ara maxima, in eodem sanctuario ab australi latere veterum usu sacra ex marmore mensa spectatur, aliamque e regione antiquitus extitisse divinari facile potest. Geminæ hæ mensæ ad latera sanctuarii apud veteres in omnibus basilicis locabantur ea nempe forma, qua nunc in basilica sanctorum Nerei & Achillei integræ conspiciuntur. In ea, quæ ad dexteram consistebat, reponebantur episcopi, vel sacerdotis celebraturi sacra indumenta: in altera ad lævam vasa sacra cum velis collocari solebant, simulque panis consecrationi, ac sacræ communioni destinatus, necnon eulogiis per synaxim distribuendis. Mensam hanc Græci *prothesin* dixere, scilicet propositionem, in qua a diacono (quemadmodum & a Latinis fieri consueverat) sacra dona sollemni ritu præparabantur, cujus accessum ipsis etiam subdiaconis inhibet præcitatæ Laodicenæ synodi canon vicesimusprimus. Collateralia sanctuario intra cancellos utrinque apud absidam basilicarum sita fuisse *pastophoria* docet liber sextus Constitutionum apostolicarum capite sexagesimoprimo, quæ Paullinus Nolanus *secretaria* appellat. Vocem *pastophorum* sanctus Hieronymus in Ezechielem capite quarto

quarto ad thalamum sive interius cubiculum explicandum trahit: horum alterum pro sacris libris recondendis inserviebat, alterum pro supellectile & vasis, in quo & alia ad sacrificium spectantia servabantur, necnon sanctissimam Eucharistiam ibidem etiam reponi morem fuisse plures opinantur auctores: hæc autem in basilica sancti Clementis desiderantur.

XVIII. Intuemur deinceps per interiorem sanctuarii circuitum dispositas hinc inde exedras sive sedilia pro sacerdotibus, atque tribus gradibus editiorem cathedram episcopalem *tribunal* aliter appellatam in medio ac intimo ejusdem sanctuarii hemicyclo e regione altaris erectam, ut jam veterum usum fuisse sanctus Gregorius Nazianzenus aliique antiquorum testantur: *In ejus medio* (inquit Constitutionum apostolicarum auctor libro secundo capite sexagesimoprimo) *sit episcopi sedes, ad cujus utrunque latus considerant presbyteri, & diacons adsistant succincti & expediti*; cui favet canon tricesimusquintus concilii Carthaginensis quarti: *Episcopus in ecclesia, & in consessu presbyterorum sublimior sedeat.* Cur autem sublimior inter alios episcopus emineat, sancti Augustini testimonio in psalmum centesimum vicesimumsextum explicatur: *Quomodo* (ait) *vinitori locus altior fit ad custodiendam vineam, sic & episcopo altior locus factus est, & de isto loco periculosa*

red-

redditur ratio. Verum hæ præsulum sedes, etsi omnes in superiori ac medio basilicarum situ Paschalis I. tempore, teste Anastasio in ejus vita, collocarentur, tamen ab aliquo etiam capite tertio (ut nostræ ætatis est usus) nonnullas ante Paschalem collocari plura comprobant antiquitatis exempla, & de illa præcipue Liberianæ basilicæ ex parte mulierum erectam fuisse notavit Mabillonius in commentarii ad ordinem Romanum capite tertio. Illas quoque ornandi sericisque linteis cooperiendi apud antiquos consuetudo invaluit, quapropter Pacianus in epistola ad Simphonianum: *An Novatianus* (inquit) *quem absentem epistola episcopum finxit, quem, consecrante nullo, linteata sedes excepit?*

XIX. Ex ista cathedra sermocinari non consuevisse ad populum episcopos nonnulli scripserunt, nisi, ut tradit Sarnellus capite quadragesimooctavo, vel sanctuarium adeo capax esset ut populus e cancellis facile audiret, vel ita parvum & angustum, ut vox per totum basilicæ ambitum auribus perciperetur; quemadmodum contigisse ferunt in basilica sanctorum Nerei & Achillei, quæ modici ambitus sanctuarium habet, ubi ex ejus cathedra sanctus Pontifex Gregorius Magnus vicesimam octavam homiliam recitavit. At quum frequens esset populi cœtus, tunc apparabatur concionaturo antistiti mobilis alia sedes *faldistorium* vulgo

vulgo nuncupata, aut *fandiſtorium*, velut ſandi locum deſignet, quæ ſuper altaris celſiorem gradum e regione majoris navis collocabatur; eaque vigebat conſuetudo tum in orientalibus tum in occidentalibus eccleſiis, ut obſervat apud Latinos ſanctus Petrus Chryſologus, & apud Græcos ſanctus Gregorius Nazianzenus in oratione centeſima quinquageſima, qui ait ſe concionante cancellos vim paſſos eſſe ac pene emotos a confluentis populi frequentia. Chriſtianus poeta Prudentius ſancti martyris Hippolyti deſcribens baſilicam, de ſanctuario & de epiſcopali ſede ſic loquitur:

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur, antiſtes prædicat unde Deum.

Necnon Sidonius Apollinaris in carmine Euchariſtico ad Fauſtum Rejenſem epiſcopum hæc itidem ſcribit:

Seu tu conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.

XX. Abſidis modo deſcriptionem, ejuſque muſivi operis aggredimur, cujus ſingulas partes ſedulo ac diligenti ſtudio deſignatas reperi in quodam codice manu exarato apud virum probatiſſimum

simum superius laudatum Jacobum Laderchium nostratem, ibique plura, quæ hodie temporis diuturnitate deleta & corrupta sunt, supplentur. Primum ergo in ejus aquilonari latere sanctorum Petri & Clementis occurrunt effigies optime elaboratæ, atque ad dextrum Petri latus inscriptio legitur: *Agios Petrus*, hisce exinde subscriptis verbis: *Respice promissum Clemens a me tibi XPM*, indicante Petro Salvatoris imaginem medio absidis superelatam; inferius prophetæ Jeremiæ inscripto nomine imago est, atque circum absidem hæ leguntur notæ prægrandi charactere exaratæ: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; necnon hinc inde ad latera Salvatoris quatuor euangelistæ quatuor animalium forma spectantur. Altera vero ex parte, scilicet australi eminentiori iisdem situ e regione sanctorum Petri & Clementis his similes sanctorum Paulli & Laurentii exhibentur effigies cum epigraphe: *Agios Paulus*, hoc insuper supposito versu:

De cruce Laurenti Paulo famulare docenti;

atque inferius Isaiæ prophetæ imagine æque ac illa Jeremiæ disposita.

XXI. Ad hemicyclum absidis quod spectat, huc revocanda sunt quæ nuper de Jacobo Thomasio cardinali Bonifacii VIII. nepote con-

scripsi; sed ne jam dicta repetam, post vitem, e cujus stipite magna exsurgit crux, cui Christus Dominus affixus est sacris referta reliquiis, utrinque dispositis passionis sociis Maria virgine & Johanne apostolo, atque post vitis propagines, in quarum curvaturis depicti sunt, inscriptis nominibus, quatuor ecclesiæ Doctores, & variæ volucrum species, hinc media infra cernitur ovis aureo coronata diademate, pluribus aliis eodem ordine utraque ex parte circumstipata. Præterea utrobique graphice expressi totam hemicycli circumferentiam ambientes antiqua pictura duodecim succedunt apostoli, quibus e sinistro latere proxime adhærent sanctorum Johannis Baptistæ, Petri, & Petronillæ vetustæ imagines, ac paullo ultra in fronte primi arcus sinistræ navis muro affixa est vetus lapidea sepulcralis tabula Henrici de Allosio cardinalis, cujus prope jacet in pavimento marmorea effigies pontificalibus indumentis ornata, ejusque hoc est sepulcrale elogium:

Heu decus heu lumen, tibi nunc domus inclyta sancto
De Allosio periit tuus ipse colendus Hericus
Hac requiescit humo, primum qui tempore longo
Præsul in urbe fuit Terdonæ, dehinc qui Papiæ,

Post

Post Mediolani sacer archiepiscopus, inde
Pro virtute sua rubeo fuit ecce galero
Per Papam Eugenium donatus in ordine quartus.
Hic pius, hic sapiens, hic justus, castus, honestus,
Hinc testamentum renuit sibi condere, dicens
Cuncta fore ecclesiæ, se cuncta relinquere Christo,
Qui dedit: ac tandem quum sexaginta subisset
Annorum ætatem, jubilei tempore sancti
Mille quadringentis & quinquaginta sub annis,
Atque die quarta Julii devotus & almus
Spiritus ille suus felix super astra volavit.

In adverso frontis basilicæ latere ad aquilonem antiquum opus armarium hactenus eminet, in quo sacrum oleum hodie servatur, a præfato Jacobo Thomasio cardinali vario e lapide constructum, quemadmodum superimposita docet inscriptio, veteri atque inaurato charactere exarata. Aliud deinde simile ad austrum fuisse Mabillonius existimat. Verum quod antiquitus sanctissimæ Eucharistiæ fuerint conditoria colligit Cabassutius in prælaudata dissertatione decima ex libro sexto Constitutionum apostolicarum, & ex Paullino, ibidem-

que de multiplici veterum usu in recondenda Eucharistia erudito examine disputat.

XXII. Quod attinet ad supra descriptas Christi Domini Sanctorumque imagines musivo opere in abside basilicæ ejusque hemicyclo expressas, compertum sane est antiquissimam de illis in ecclesia fuisse consuetudinem. Singulas nanque sacras ædes Christi Redemptoris imagine decorari consuevisse testis est apud Cardinalem Baronium ad annum quinquagesimumseptimum vetus canon Antiochenæ synodi *apostolorum* nuncupatæ. De ejus quoque effigie crucifixa pervetustum æque morem fuisse tradunt sanctus Augustinus in libro de visitatione infirmorum capite secundo & tertio, Nicephorus libro tertio capite undetricesimo, aliique antiquorum nonnulli. Ceterum sacris undique picturis ecclesias ornasse priscos fideles memorat sanctus Gregorius Nyssenus in oratione de laudibus sancti Theodori, ubi ejus basilicæ designans cultum, hæc ait: *Dum ædem ut templum Dei magnitudine structuræ & adjecti ornatus splendide elaboratum intuetur, induxit etiam pictor flores aris in imagine depictos, fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus &c.* Quod idem confirmat Paullinus in poemate de Natali sancti Felicis, ubi sacram ejus nomini describit basilicam:

E pa-

E paribus variæ & speciosæ cultibus exstant Marmore picturæ laquearibus, atque columnis.

In majori demum sacrarum ædium navi, quam alii *gremium* vocant, populus ad divina officia peragenda congregari solebat, cujus apud veteres triplex ordo distinguebatur tribus ejusdem navis partibus respondens, hoc est *perficientium*, *perfectionem acquirentium*, & *expurgantium*. Primis ut sacris, Allatio teste in epistola de narthece, sacratior ædis pars, ipsa nempe adyta & sanctuarium ad sacra obeunda ministeria tribuebantur. Alteris proxima ædis pars, quæ strictiori nomine *naos* sive *templum* dicitur, in qua fideles sacrorum interei ant celebrationi. Postremis denique id quod reliquum ædis est, ut ibi prius depurgati, ad aliorum postmodum societatem introducerentur, quem illustres Græcorum appellatione *narthecem* vocavimus.

Inte-

Interioris basilicæ

PARS III.

XXIII. Media hujus basilicæ navi descripta, ejusque partibus historice illustratis, minores hinc inde ad ejus latera sequuntur naves, quarum dextera ad aquilonem summo loco sacellum habet divo Johanni Baptistæ sacrum, ad quod per gradus, quibus ad sanctuarium, ascenditur. Super ara sacelli marmoreum exstat ejusdem simulacrum optime insculptum, & utraque ex parte muro hærent, quæ sanctissimi præcursoris historiam repræsentant picturæ; altera nempe sermocinationem, quam habuit ad Herodem & Herodiadem, altera ejus decollationem. Ante sacelli ingressum dextrorsum surgit elegantissimum Bartholomæi Roverellæ cardinalis monumentum, cujus super sepulcralem urnam, supra quam defuncti cardinalis episcopalibus induta vestibus decumbit effigies, Deiparæ imago inter angelos & apostolos Petrum & Paullum sublata tollitur, cui Petrus eundem Roverellam cardinalem ante genuflexum velut in clientelam fovendum commendat. Deinde sub urna exstat inscriptio prægrandibus characteribus in marmore excisa, quam hic subjiciendam existimavi:

Hoc

Hoc monumento clauditur Urbi,
Doctis, & bonis omnibus desideratissimus
Bartholomæus Roverella
Ob solas animi dotes
Singularemque fidem & scientiam
Eugenii IV. Pontificis Maximi
Secretarius,
Et ab eodem archiepiscopus Ravennas,
Inde
A Pio II. Pont. Max.
Tituli sancti Clementis cardinalis creatus,
Qui legationibus multis
Pace & bello peractis,
Dum
Xysti IV. Pont. Max.
Et collegarum benevolentia,
Principumque ac nationum plurimarum
Clientelis insignis tranquillam
Et consiliis utilem septuagenarius ætatem
Ageret,
Omni supellectile in familiæ remunerationem
Distribui jussa,
Romæ obiit anno salutis
M CCCC LXXVI.
VI. nonas Maii.
Testam. executores collegæ
B. M.

Infra

Infra hujus tumuli lateri minor alius adhæret Johannis Francisci Brusati Nicosiensis archiepiscopi cardinalis Roverellæ nepotis sepulcrali itidem urna instructus, supra quam jacet ejus simulacrum episcopali indumento insignitum cum his in epigraphe notis:

Sedente Sixto IV.
Johanni Francisco Brusato
Patria Veronensi
I. V. C.
Bartholomæi Roverellæ
Cardinalis Ravenn.
Nepoti ex sorore,
Antistiti Cassanensi,
Et in Nicosiensi archiepiscopatu
Translato
Compluribus legationibus
Et apostolicis & regiis functo,
Doctrina, gravitate,
Moribus,
Et multis operibus admirandis claro;
Qui vixit annos
X L I V.

Flavius Roverella nepoti
Ex testam.
P.

Vetu-

XXIV. Vetustissimæ huic sepulcro succedunt picturæ longo temporis intervallo ex parte labefactatæ, quas inter singularem meretur notam angelorum chorus, cui suppositā leguntur hæc verba Italica-latina eloquutione barbare conscripta, quæ angelicæ hierarchiæ singulas explicant proprietates & munera:

Seraphin ardenti d'amore.
Cherubin scientia de Deo.
Throni sedia che Dio le giudica.
Principatus hanno a gubernare l'universo. [geli.
Dominationes hanno a commandare all'altri an-
Potestates hanno potenza sopra li dannati del-
l'inferno.
Virtutes hanno potestà di far miracoli.
Archangeli hanno a dinuntiare li secreti de Deo.
Angeli hanno da guardare e portare le anime in paradiso.

Deinde paullo ultra pictoris nomen legitur:

Si vis pictoris nomen cognoscere lector;
De veteri urbe Juvenalis est nomen ejus.

Is, ut notat Millinus in sæpememorato suo codice Vaticano, circa annum salutis quadringentesimum supra millesimum claruit.

Hinc præter sancti Clementis aliorumque Cœlitum imagines, quibus hæret sacratii ostium cardinalis Venerii gentilitio stemmate ornatum, proxima est cardinalis Ghinucci basilicæ olim titularis sepulcralis tabula recentiori opere exculta, cujus hæc est inscriptio:

Hieronymus Ghinuccius
Stephani Patritii Senensis F.
A Julio II. Pont. Max. in sacro
Lateranen. concilio
Cum primis adhibitus,
Sub Leone X.
Ad Henricum Britanniæ regem
Nuncius,
Episcopus Vigorien.
Cameræ apostolicæ clericus,
Et auditor generalis,
Ab Hadriano VI.
Ad Melitensem ecclesiam,
Mox ad Asculanam translatus,
A Paullo III. cardinalis creatus,
Apostolicis brevibus, reformandæ curiæ,
Tridentino concilio convocando
Ordinandoque præfectus:
Postremo ad pacem conciliandam
Inter Carolum Cæsarem
Et Franciscum Galliæ regem

E la-

E latere legatus,
Post egregie tantis in rebus
Novatam operam
In æde
Tituli sui
H. S. E.

Obiit ann. sal. MDXLI.
Die III. *Julii.*

Absolvit demum hanc dextram navem facellum hodie divo Dominico ordinis Prædicatorum fundatori facrum ferreis claufum cancellis, nullo tamen ornamento infignitum, fed fimplici ara compofitum.

XXV. Hactenus dextra navi defcripta, finiftra ad auftrum fequitur, cujus in editiori loco fumma fronte facellum eleganti æræ ftructura Virginis nativitati dicatum erigitur, quod Johannes Angelus Ruffinellus a fundamentis ædificavit. Per gradus, quibus ad fanctuarium, patet aditus, ubi & marmoreum ejus feptum continuatur. Sacellum nonnullis hinc inde picturis laudatiffimi Caracci alumnorum opera elaboratis ornatur, quarum altera fanctum Francifcum Affifiatem exprimit ftigmata recipientem, altera fanctum Carolum Borromæum eleemofynas pauperibus erogantem.

Inferius exstat ante sacellum pernobile cardinalis Venerii sepulcrum contra illud ferme simile cardinalis Roverellæ marmoreis statuis instructum, cujus super urnam media inter sanctos Clementem Pontificem & Antonium abbatem excellenti labore insculpta cernitur Deiparæ imago; & sepulcralis hæc subest epigraphes:

Antonio Jacobo Venerio
Rachanaten.
Tituli sancti Clementis presbytero cardinali
Episcopo Conchen.
Magnanimitatis, constantiæ, fidei, integritatis
Exemplo,
Cunctis in Romana curia honoribus,
Ac in omnibus pene Occidentis oris mira gratia
Felicissimoque successu
Legatione perfuncto,
In cardinalem ob merita
Totius senatus suffragiis
Assumpto
Sixtus IV. Pont. Max.
B. P.
Annum agens LVII.
III. *non. Aug.*
Ann. sal. M CCCC LXXIX.
In patria decessit.

Post-

Postmodum in planum navis descendendo, lapidea occurrit tabula humi sub intercolumnio locata, cujusdam Isabellæ Crescíæ Melioris filiæ materno nomine Strozziæ musici cantus fidicumque omni genere insignis puellæ monumentum: quo viso lateralis sese offert janua, quam Pontifex Sixtus V. aperuit. Contra illam lateritiæ ad lævam pilæ majoris navis adhærens affabre efformatus atque eleganti decoratus epitaphio Petri Antonii Salvati sacræ Romanæ rotæ causidici tumulus eminet, cujus alia in pavimento jacet epigraphes, & ex illa postrema hæc tantum carmina exscripsi:

Hactenus ipse alios, nunc tu me, virgo, tuere,
Munere salvatus *dicar ut esse tuo.*

Accedit recentior ara Virgini, quam *de Rosario* vocant sacra ab ejus societate exstructa atque exornata, cui superinductum est egregio opere laqueare, addito columnarum, quibus navis præinnitur, earumque fornicum modico ornamento.

XXVI. Demum sacellum Catharinæ virgini & martyri dicatum amplioris paullo ambitus ferreis itidem cancellis obstructum navis & totius basilicæ descriptionem absolvit, ante quod in pavimento marmoreum Johannis Antonii Capisucchi cardinalis fixum est hoc elogio monumentum:

jo-

D. O. M.

Johanni Antonio Capifucco
Tit. sancti Clementis presbytero cardinali
Episcopo Laudensi,
A Pio V.
Subsignandis gratiæ rescriptis
Præposito
Viro integerrimo,
Pietatis religionisque Christianæ
Cultori præcipuo.
Hieronymus Capisuccus patruus benemeren.
Posuit.
Vixit annos LIII. *menses* III.
Dies VIII.
Obiit IV. *kal. Februarii*
M D LXIX.

Totius facelli ambitus multiplici picturarum genere, quæ celeberrimi pictoris Masacci, ut ajunt, opera sunt, spectabilior est atque insigniorem cultum ostentat. Harum prior in fronte Christum Dominum inter latrones sublatum ob oculos ponit, & præ aliis sinistra ad boream sanctæ virginis Catharinæ martyrium. In testudine picti conspiciuntur euangelistæ quatuor, & doctores totidem, atque in fornice apostoli duodecim. Pavimentum partim

partim rude est & impolitum, in quo plures exstant antiquæ e marmore tabulæ, quarum tantum rudera jacent; neque ex illis intacta superest, nisi quædam prope aram a cornu euangelii pervetustis insculpta characteribus, quæ ita se habet:

Stephanus de Caraja
Episcopus Paduanus,
Et Aprutinus, & Tricaicensis
Hic requiescit
Anno M CCCC XXXXIIII.
Die X. *mens. Julii.*
Amen.

E latere altero ad austrum hæc græce excisa sunt:

Πᾶσιν εἰκῶς
ζήσας
ἄμεμπτος
ἐτελεύτησεν ἐτῶν κθ.
χαῖρε.

Quæ Millinus in suo codice sic latinitate donavit:

Omnibus rite vivens absque culpa
Decessit annorum XXIX.
Vale conjux.

Aliud

Aliud itidem græce sepulcrale elogium olim apud aquæ lustralis fontem in hac basilica positum metrico stylo inscriptum adferunt Millinus & Brutius sanctæ Dorotheæ parochus in eorum codicibus, quod tamen hodie desideratur:

Θ K

Εν τε φίλοισι φίλοιο, καὶ ἰητῆρος ἀρίστου
Παιδείης δ' ἱερῆς ἐσῦθεν ἀψαμένου
Σῶμα ἐκκλῆσθη μου καὶ υἱέος ἐνθάδε κεῖρην
Ως ἐπέτελλε φίλοις εἷς ὅδε τύμβος ἔχει.

φοντείῳ φορτι ἀσκληπιαδῃ τῷ
ξένῃ ἐφεσίῳ
βιώσαντι ἔτεσιν μγ.
μησὶν β. ἡμέραις κε. ὥρ ζ.
ἐγνατία βερσίης σύμβιος
μνήμης χάριν.

Græcum hoc epigramma sic latine reddidit apud Millinum vir doctissimus Josephus Maria Suaresius episcopus Vasionensis:

Inter amicos amici & medici optimi
Doctrinam sacram, qui probe attigerat,
Corpus conclusum est, & mei filii intra ceram,
Uti mandavit amicis, unus hic tumulus tenet

Fonte

Fonte io forti Ardepiade, genere ephesio,
Qui vixit annis quadragintatribus,
Mensibus duobus, diebus vigintiquinque,
horis septem.
Egnatia Brisejes conjux
Memoriæ gratia.

XXVII. Desiderantur præterea tres aliæ latinæ inscriptiones, quas tollere antiquæ plures recentesque basilicæ restaurationes facile potuerunt. Harum vetustior fuit Anastasii sub Paschale II. Pontifice cardinalis basilicæ olim reparatoris, ubi tumulum habuit, cui hæc incisa hærebant carmina apud Ciaconium in vita Paschalis vulgata:

Is sancte pater Clemens tua templa notavit,
Cujus in hoc tumulo pulvis & umbra jacent.
Moribus egregiis, & vita presbyter Urbis
Fulsit, Anastasius nomine dictus erat.
Vita docens, studiumque pium, vis relligionis
Conspicuum meritis efficiebat eum.
Hunc quicunque legis tumulum, memor esto legendo
Dicere, Nate Dei subsidieris ei.

Altera fuit Johannis Stephani Ferrerii ab Alexandro VI. in cardinalium collegium adlecti, cujus corpus antequam Biellam Vercellensis diœcesis

oppidum deportaretur, in basilica sancti Clementis temporarium sepulcrum obtinuit cum hac epigraphe:

D. O. M.

Johanni Stephano Ferrerio
Sanctorum Sergii & Bacchi
Presbytero cardinali
Bononiensi,
Viro sanctitate,
Doctrinaque insigni.
Vixit annos XXXVI.
Menses V.
Obiit ann. MDX.
III. *Nonas Octobris*.
Julio II. Pontifice maximo.

Postrema & recentior Vincentii Laurei cardinalis laudum compendium erat, quam Ciaconius in ejus vita exscriptam habet a Christophoro Laureo Perusino episcopo ejus affini in argumentum grati animi positam, quamque ad optimi cardinalis decus publicis literis consignandum, ejusdemque præclaras animi dotes, quibus mirabiliter enituit evulgandas hic iterum subnectere operis institutioni consonum puto:

Vin-

Vincentio Laureo
Philosopho, poetæ,
Oratori latine & græce eloquentissimo,
Omnique virtutum
Ac civilitatum genere
Summis principibus probatissimo,
Quem Gregorius XIII. Boncompagnus
Anno a Julianis mensibus
Contractis altero
Ad honorem purpuræ jam sexagenarium
Evexit.
Obiit decennio post trabeam immortalitatis
Beatiorem nactus,
Relicta hærede
Sodalitate Ministrantium infirmis.
Christophorus Laureus
Tropejensis
Episcopus Perusinus
Non longa ferie affini propius
Patrono beneficentissimo,
Suæque initiationis arbitro,
Quem & legatum in Angliam
A Pio V. missum
Est sequutus
Multis cum lacrymis posuit
M D X C I I.

Alia demum plura inscriptionum fragmenta sparsim in basilica humi defixa observavi, quæ sedula opera collegit Millinus, sed quia in nullum evadunt ornamentum, ideo illa exscribenda non duxi.

XXVIII. Verum quis fuerit apud antiquos harum minorum navium in basilicis usus, palam faciunt auctores de sacris ritibus scribentes. Olim in illis distincta fuisse sacella seu oratoria ad secretius, si luberet, orandum tradit Paullinus in sæpememorata epistola ad Severum: ubi etiam altaria erant, sub quibus martyrum corpora humari solebant. Veterum hujus consuetudinis testis est sanctus Ambrosius in epistola tricesimatertia ad Marcellam sororem. Hoc tamen non satis arguit plura ideo in basilica sancti Clementis fuisse altaria, quia quum unum tantum in sanctuario exstructum putavetim, nullum prorsus de aliis singulare monumentum exploratum habui, nullaque aliorum martyrum corpora, super quibus erigi consueverant, ibidem antiquitus deposita fuisse cognovi ea præter, quæ deinde post vetustiora sæcula ibi sepulcro donata fuerunt. Quum ergo veteres Christianorum basilicæ omnem quantum licebat Jerosolymitani templi similitudinem præseferrent, sicut in illo distincto loco erant sacerdotes a populo, & viri a mulieribus, atque a nuptis virgines; ita eodem fere ordine in hisce Christianorum basilicis, quum

quum facri conventus peragerentur, fuisse fideles ab invicem locorum divisione sejunctos luculenter testatur sanctus Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum de Philone. Locum autem pro viris & locum pro feminis geminas hinc inde seorsim fuisse basilicarum porticus five minores naves, liber secundus Constitutionum apostolicarum capite sexagesimoprimo his verbis enunciat: *Episcopus una cum clero ad utrunque latus posito sedeat, ex altera ecclesiæ parte viri, ex altera mulieres.* Idemque confirmat Procopius de ædificiis Justiniani Imperatoris in oratione prima: *Sunt duæ* (ait) *utrinque porticus, quas fastigiata testudo & aurum venustant, harum una viros orantes, altera mulieres admittit, alias nulla re differentes.* Necnon præter antiquos patres Gregorium Nazianzenum, Augustinum, aliosque id notavit Amalarius de ecclesiasticis officiis libro tertio capite secundo, ibique mysticam profert rationem, quare viri ab australi latere, & feminæ a boreali in ecclesiis consisterent: *Ut ostendatur* (inquit) *per fortiorem sexum firmiores sanctos semper constitui in majoribus tentationibus æstus hujus mundi, & per fragiliorem sexum infirmiores sanctos.* In hisce sexuum separationibus utraque ex parte ordines servabantur *pœnitentium & participantium*, quibus ex parte feminarum adjungebantur sacræ virgines a nuptis loco distinctæ

ctæ ad intimam usque stationem sanctuario proximam accedentes, sicut ex parte virorum intima occupabant monachi, quos olim proprias ecclesias non habuisse referunt auctor Hierarchiæ ecclesiasticæ, & sanctus Ambrosius in epistola ad virginem lapsam. Quin etiam intra presbyterii cancellos senatorium erat ad austrum, ubi senatores & viri optimates consistebant, atque ex adversa parte matronarum nobiliorumque mulierum statio collocabatur.

XXIX. Lubet hic præterea æream ichnographicam basilicæ tabulam ob oculos ponere, ejusque singulas partes hactenus descriptas breviter explicare.

Itaque litera major A inferius excisa prothyrum sive parvam porticum denotat quatuor columnis sustentatam.

Litera B est janua post prothyrum.

C Porticus ante cœnobium cum senis columnis.

D Scalæ per quas in cœnobium ascenditur.

E Atrium sive impluvium.


F Est ingressus in porticum ante basilicam.

G Est ipsa porticus cum quatuor columnis.

H Campanaria turris.

Majores deinde aliæ literæ superius in tabula exsculptæ id significant:

nimi-


d
N
e
d
e
f
g
H

A nimirum est Altare majus cum ciborio.

B Cathedra episcopalis.

C Consessus presbyterorum sub abside.

D Presbyterium a præfato consessu ita dictum.

E Sanctuarium sive area inter duos majores arcus.

F Septum marmoreum sanctuarii ad septentrionem.

G Septum marmoreum ejusdem sanctuarii ad austrum.

H Cancelli sanctuarii.

I Ostium cancellorum in medio.

L Gradus sanctuarii hinc & illinc dispositi.

M Chorus marmoreus peribolo septus.

N Ostium chori.

O Ambo marmoreus in parte australi.

P Ambo alius in parti aquilonari.

Q Senatorium in parte australi.

R Septum lapideum senatorii.

S Ostium senatorii.

T Matronæum a parte aquilonari.

V Septum lapideum matronæi.

X Ostium matronæi.

Hinc aliæ minores literæ id explicant:

a scilicet est Navis basilicæ ad austrum.

b Aula basilicæ.

Navis

c Navis ad aquilonem.

d Catheeumenorum & pœnitentium virorum ſtationes.

e Cathecumenarum & pœnitentium mulierum ſtationes.

f Secretarium.

g Janua baſilicæ.

h Locus ubi antiquitus monachos conſtitiſſe nonnulli exiſtimant.

i Locus ubi ſacræ virgines conſiſtebant.

l Lineam indicat, quæ a ſeptem cereoſtatis in pavimento antiquitus locari ſolitis formabatur.

m Lineam aliam oſtendit ab aliis ſeptem cereoſtatis deſcriptam.

XXX. Ut autem omnia quoad fieri licet luculentius pateant, orthographiam chori, ut in tabula quarta ac in figura prima, hic exhibemus.

A Eſt altare majus ſub ciborio quatuor columnis ſuffulto.

B Eſt locus ſub altari, quem confeſſionem appellavimus.

C Septum marmoreum, quod presbyterium claudit.

D Lapideæ tres feneſtræ, quas tranſennas vocavimus.

E Septum marmoreum ſenatorium claudens.

F Septum marmoreum claudens matronæum.

Gradus

G Gradus & transitus ad senatorium & matronæum.

H Orbiculus, in quo monogramma supra descriptum expressum est, quodque in figura sexta hic iterum repræsentamus.

In secunda figura ejusdem tabulæ est septum marmoreum ad dexteram partem ingredientium basilicam, in quo litera

I Ambonem ad boream indicat.

L Legile marmoreum, in quo sacri codices sustinebantur.

M Legile marmoreum in primo ambonis ingressu.

Figura quarta idem septum marmoreum exprimit sicut in externa parte dextrorsum conspicitur.

In orbiculo super litera N visitur allatum monogramma anaglyphice insculptum & extuberans, quemadmodum reliqui ornatus ejusmodi cælatura exstantes.

Respondet a sinistro basilicæ latere pars altera ejusdem septi, cujus exterior prospectus figura quinta, internus vero figura tertia adumbratur.

Litera H denotat adcensum ex parte altaris.

I Descensum versus basilicæ januam ostendit.

Sed unde cœpimus redeamus.

Litera P columna est marmorea sive magnum candelabrum pro cereo paschali.

Q Ambo marmoreus ad aquilonem.

Figura quinta septi marmorei in figura tertia quoque expressi faciem exteriorem demonstrat, ubi litera R indicat aliam ambonis faciem ad austrum.

S Est eadem columna lapidea pro cereo paschali.

T Est alius orbiculus, in quo iridem supramemoratum monogramma expressum spectatur.

Omnia demum basilicæ sancti Clementis vetera, quæ descripsimus, monumenta, scilicet chorus, ambones, sanctuarium, altare, diaconica mensa, & alia hujusmodi adhuc integra sacræ vetustatis testimonia satis arguunt ibidem prioris ecclesiæ presbyteros omni celebritatis apparatu ac sollemni ritu sacra fecisse, necnon fideles diuturno ejus cultui admodum consuluisse; unde quanta sit hujus basilicæ dignitas plane innotescit.

CA-

CAPUT X.

De sanctorum reliquiis, quæ in basilica sancti Clementis coluntur.

I. NEMO est, quem lateat inter eruditos quam vetus fuerit, & apud ecclesiæ patres longe commendatissima sacras ædes Sanctorum reliquiis ornandi consuetudo, ut sancti Augustini testimonio in commentario ad psalmum centesimum vicesimumsextum summis laudibus celebretur. Hanc antiquitus in basilica sancti Clementis servatam etiam fuisse, reliquiæ plures compertum faciunt, quæ ibi longo abhinc annorum decursu coluntur. Quod itaque primum attinet ad sancti Clementis Papæ & Martyris corpus, satis in priori libro disserui; quapropter de illo sancti episcopi Ignatii, quod sub confessione item requiescit, nonnulla sese offerunt admonenda. Antequam in basilica sancti Clementis sacrum hoc corpus sepulcro daretur, pluries translatum fuisse auctores scripserunt. Prima translatio fuit, quando consummato Romæ martyrio, ejus discipuli in patriam martyris Antiochiam victrices reliquias

 dedu-

deduxerunt, quam in fine Actorum memorat Metaphrastes, & egregia oratione describit sanctus Johannes Chrysostomus in homilia quadragesima-secunda: *Positum fuit* (inquit) *corpus ejus in cœmeterio ad portam Daphniticam*: quod etiam tradunt Ado in libello de festivitate sanctorum apostolorum &c., & Beda in martyrologio kalendis Februarii. Adonis verba sunt: „ Antiochiam „ reliquiæ corporis ejus relatæ jacent extra portam „ Daphniticam in cœmeterio ecclesiæ decimo-„ sexto kalendas Januarii delatæ: idemque ex menæis & anthologio Græcorum, necnon ex sancto Hieronymo refert Johannes Bollandus ad primam Februarii in Actis sanctorum.

II. Secunda translatio fuit, quando ultimis Theodosii junioris temporibus delatum est corpus ejus summo cum honore intra ipsam urbem Antiochiæ ex cœmeterio portæ Daphniticæ, positum in templo quod *Fortunæ* vulgo dicebatur. Id scribunt Evagrius Scholasticus libro primo capite decimosexto, & Nicephorus in historia libro decimoquarto capite ultra quadragesimum itidem quarto: licet hic toto cœlo aberret in eo quod ait temporibus tantum Theodosii Roma illuc esse asportatum.

III. Tertia demum translatio fuit Antiochia Romam, de qua duo extant Cardinalis Baronii testimonia. Primum est in notationibus martyro-

tyrologio ad diem decimamseptimam Decembris, qua translationis hujus memoriam colit ecclesia, ubi illam accidisse putat anno salutis quadragesimo supra quingentesimum, quo, ut testatur Procopius, Justiniano Imperatore, Antiochiæ civitas a Cosrhoe Persarum rege igni ferroque vastata fuit; in cujus sententiam item venit vir doctus Petrus Halloix de vitis Orientalium scriptorum in vita sancti Ignatii capite decimoquinto. Illam tamen respuit Bollandus, idemque Baronius in Annalibus ad annum sexcentesimum tricesimum septimum non agnovit, ubi firmiori innixus auctoritate notat hoc eodem anno contigisse. Subdit enim, Antiochia totius Orientis metropoli cum aliis clarissimis urbibus Alexandria & Jerosolyma a Saracenis capta, complura tunc sanctorum tum martyrum tum confessorum corpora in Occidentem translata fuisse, atque variis in locis, vel Romæ, vel Venetiis, vel alibi collocata; id curantibus sive habitatoribus, qui in Occidentem commigrabant, sive mercatoribus, qui cum ipsis Gentilibus tuto versabantur, sive aliis fidelibus: quo eodem tempore Romam Antiochia delatas etiam fuisse tradit sancta martyris Ignatii reliquias biscentum & ultra annos ante sancti Clementis Papæ corporis translationem; ita tamen quod hunc corporis sancti Ignatii Romam adventum (Baronio quoque teste) „ constans fama, „ vetusque traditio potius quam scripta significent.

Ec-

Ecclesiam, in qua Romæ deposita fuerunt veneranda sancti martyris ossa, indicat martyrologium Romanum ad præfatam diem decimamseptimam Decembris: „ Postmodum ejus reliquiæ rursus Ro-„ mam translatæ sunt, & *in ecclesia sancti Cle-„ mentis* una cum corpore beatissimi Papæ & „ Martyris summa cum veneratione reconditæ „ sunt. Hinc patet quomodo sancti Clementis basilica sancti episcopi Ignatii corpore donata sit, atque hi fortissimi Christi martyres simul unam eandemque basilicam eorum corporum sepulcro communem habuerint. Marianus idcirco optime cecinit apud Augustinum Oldoinum in sæpelaudata additione ad Ciaconium in vita sancti Clementis:

Quam bene conveniunt parili quos ordine junxit
Gloria Romanæ sedis & Antiochiæ.
Anchora vos mersit, vos contrivere leones
Vestra sepulcra feræ, vestra theatra mare.
Quam bene conveniunt parili quos sorte necavit
Anchora dente tenax, & leo dente vorax.

IV. Præterea in hac basilica corpora sanctorum Cyrilli & Methodii requiescere scribit idem Baronius in notationibus martyrologio ad diem nonam

nonam Martii: „ In basilica sancti Clementis (ait)
„ etiam iidem Romæ morientes miraculis clari
„ sepulti sunt, quorum sacras reliquias nuper sub
„ altari in ejusdem ecclesiæ sacello pervetusto re-
„ pertas esse accepi. Id pluribus confirmant Bol-
landiani in eorum vita, ubi præcitatos in superiori
libro Duchesnianum & Blauburanum MSS. codices
proferunt, ex quibus nonnulla de sancti Cyrilli
corpore lubet in medium producere. Quo ad illum
Duchesnii, postquam sancti Cyrilli tradidit obi-
tum, hæc deinde subjungit: „ Tunc supradictus
„ frater ejus Methodius accedens ad sanctum Pon-
„ tificem (scilicet Hadrianum II.) & procidens
„ ad vestigia ejus petiit sacrum corpus &c. Non
„ est visum Apostolico, quamvis grave sibi aliquan-
„ tulum videretur, petitioni & voluntati hujusmodi
„ refragari: sed clausum diligenter defuncti cor-
„ pus in loculo marmoreo, & proprio insuper
„ sigillo signatum, post septem dies dat ei licentiam
„ recedendi. Tunc Romanus clerus simul cum
„ episcopis, & cardinalibus, & nobilibus Urbis
„ consilio habito, convenientes ad Apostolicum
„ cœperunt dicere: Indignum nobis valde vide-
„ tur, venerabilis pater & domine, ut tantum
„ tamque magnificum virum, per quem tam pre-
„ tiosum thesaurum urbs & ecclesia nostra recu-
„ perare promeruit, & quem Deus ex tam lon-
„ ginquis regionibus & exteris ad nos sua gratuita
pie-

„ pietate perducere & adhuc etiam ex hoc loco
„ ad sua regna est dignatus assumere, qualibet
„ interveniente occasione, in alias patiamini par-
„ tes transferri, sed hic potius placet honorifice
„ tumuletur &c. Tunc Methodius oravit, ut in
„ ecclesia beati Clementis, cujus corpus multo
„ suo labore ac studio repertum huc detulit, re-
„ condatur. Annuit hujusmodi petitioni Præsul
„ sanctissimus, & concurrente cleri ac populi ma-
„ xima frequentia cum ingenti lætitia & reveren-
„ tia multa simul cum locello marmoreo, in quo
„ pridem illum prædictus Papa condiderat, po-
„ suerunt in monumento ad id præparato in basi-
„ lica beati Clementis ad dexteram partem altaris
„ ipsius. Hæc Duchesnii codex. Quo ad alium
cœnobii Blauburani codicem, hæc itidem habet:
„ Methudius Roma abire volens, beatumque Cy-
„ rillum secum ducere, sed inveniens eum mor-
„ tuum petiit Papam, ut saltem fraternum corpus
„ exanime secum posset Moraviam deferre pro de-
„ votione gentis ipsius noviter conversæ. Cui pe-
„ titioni quum non annuisset Apostolicus, beatus
„ Methudius occulte pro tempore stetit Romæ,
„ & tandem quadam nocte ingrediens ecclesiam
„ sancti Clementis, in qua corpus fraternum fue-
„ rat sepultum, id occulte recipiens, ad Mora-
„ viam secum deportare voluit. Quumque per
„ aliquot dies corpus sanctum deportaret secum
in

„ in via, & in loco quodam amœno requiesceret,
„ & postea cum corpore sancto ulterius vellet
„ procedere, nulla ratione ab illo potuit abire
„ loco. Beatus autem Methudius orationibus in-
„ sistens petiit sibi divinitus revelari quonam cor-
„ pus id sacrum deberet deferri. Tunc sanctus Cy-
„ rillus manu dextera elevata ostendit fratri suo
„ Methudio, multis videntibus, quod Romam
„ iterum deberet deportari. Quo deportato Papa
„ cum populo Romano sancto occurrens corpori,
„ & reverenter id recipiens, in ecclesia sancti Cle-
„ mentis, ubi antea jacuerat, iterum sepelivit.
His addendus est Francisci del Sodo MS. Vatica-
nus codex, qui sua ætate sancti Cyrilli sacellum
e dextro latere basilicæ ingredientium erectum
fuisse tradit (quod illud puto hodie divo Dominico
sacrum) ibique corpus ejus requiescere: idemque
memorant Ugonius & Pancirolus, necnon Johan-
nes Dubravius de obitu sanctorum Cyrilli & Me-
thodii Romæ meminit in historiæ Bohemicæ libro
secundo.

V. De corpore sancti Servuli paralytici
alibi satis scripsi, ubi in hac basilica incerto loco
reconditum esse auctorum opinione exploravi.
Ibidem quoque sancti Johannis Chrysostomi cor-
pus olim quievisse antequam in Vaticanam basi-
licam asportaretur, scriptorum nonnulli dixerunt,
quibus suspicari etiam placuit ipsius sanctissimi epi-

ſcopi caput, vel ſaltem aliquam ejus partem ibi relictam fuiſſe. Verum præter recenſita Sanctorum corpora, & quas ſupra memoravi in muro hemicycli abſidis repoſitas Cœlitum reliquias, aliæ plures in hac baſilica ſervantur, quarum catalogum perhumaniter mihi communicavit reverendus pater Gerardus Veldon ordinis Prædicatorum baſilicæ ſacrarii præfectus; harum duntaxat inſigniores lubet exſcribere:

De præſepio Domini noſtri Jeſu Chriſti.
De ejus corona ſpinea.
De ejus capillis.
De lapide, ſuper quo fuit circumciſus.
De monte calvario.
De columna, ad quam fuit flagellus cæſus.
De lacte ſanctiſſimæ Virginis.
De capite ſancti Stephani protomartyris.
De reliquiis omnium pene apoſtolorum, pluriumque ſanctorum martyrum; videlicet ſancti Petri, ſancti Andreæ, ſancti Matthæi, ſancti Bartholomæi, ſancti Thomæ, ſancti Jacobi, & ſancti Simonis: ſancti Johannis Baptiſtæ, ſancti Lucæ euangeliſtæ, ſanctorum Nerei & Achillei, ſancti Chryſogoni, ſancti Cypriani, ſancti Euſtachii, ſancti Sebaſtiani, ſancti Pancratii, ſancti Tiburtii: ſanctæ Perpetuæ, ſanctæ Reparatæ, ſanctæ Margaritæ, ſanctæ Domitillæ, aliorumque.

De

De digito sancti Clementis Papæ & Martyris, quem annua ejus sollemnitate super altare majus basilicæ palam expositum veneramur.

De ejusdem stola & pastorali virga, & de aliis demum complurium Sanctorum reliquiis.

Olim numero majores fuisse atque clariores auctorum testimonia suadent, de quibus hodie superstes tantum est memoria; fuerunt nimirum:

Digitus sancti Petri apostoli.

De cruce Domini nostri.

De ejus sudario.

De ejus veste.

De baculo, quo fuit verberibus cæsus.

De cinctu beatæ Virginis, atque aliæ, quas late notat Ugonius in libro de Stationibus Urbis.

CAPUT XI.

Collectio chronologica omnium sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, qui sancti Clementis basilicæ titulares fuerunt, quorum dignitates & muneræ referuntur.

I. GRADUM facimus a Divorum reliquiis, quibus hæc sancti Clementis basilica decoratur, ad Romanæ ecclesiæ presbyteros cardinales, qui ejus titulum adepti sunt, eosque ordine chronologico ex Panvinio, Ciaconio, aliisque ecclesiasticis scriptoribus recensendos suscipio. Basilicæ enim dignitati & ornamento admodum confert literis commendare viros, qui generis nobilitate, morum sanctimonia, doctrinæ præstantia, honorum & munerum claritate insignes inter cardinales cooptati ejus titulo præfuere. Verum præmittendum existimavi Julium III. Pontificem postrema die Februarii anni quingentesimi quinquagesimi supra millesimum sancti Clementis titulum cum illo sancti Pancratii, ut Ciaconius tradit, unum fecisse, die postmodum quarta De-cem-

cembris proxime sequentis anni unionem illam dissolvisse.

II. Primum itaque Romanæ ecclesiæ presbyterum, qui in ecclesiasticis tabulis reperiatur, basilicæ sancti Clementis titularem, Renatum legimus apud sanctum Leonem Magnum in epistola decima ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum, qui anno quadringentesimo undequinquagesimo ab eodem Leone Pontifice cum Juliano episcopo, & Hilario diacono ad concilium Ephesinum secundum contra Eutychetem legatus est; ubi patrum conniventia, & favore atque affectu Theodosii Imperatoris nihil adversus Eutychetem sanxit concilium, sed ab illo absolutus prædatoriæ sceleratorum hæreticorumque grassationi contra fidei Catholicæ defensores caussam dedit. Quapropter Renatus & Hilarius fuga lapsi sunt, & post multa rerum discrimina rediere ad Leonem, qui deinde synodum damnavit.

Hinc in synodo prima Romana sub Symmacho Pontifice celebrata tres prænotavi eodem tempore sancti Clementis presbyteros interfuisse, Petrum scilicet, Urbicum, & Servumdei.

Anno quingentesimo tricesimoprimo Johannis Mercurii sancti Clementis presbyteri superius memini, qui deinde Pontifex creatus Johannis II. nomine sedit annos duos, menses quatuor, & dies sex.

Gre-

Gregorio Magno Pontifice in synodo Romana secunda duos etiam sancti Clementis presbyteros supra memoravi, Speciosum nimirum & Candidum, quos pluries idem sanctus Pontifex in suis epistolis commendat.

III. Anno septingentesimo tricesimoprimo, Gregorio III. sedente, Gregorium presbyterum tituli sancti Clementis in monte Cœlio reperi, quem ipsum arbitror sub Zacharia Pontifice quatuordecim post annos in concilio Romano subscriptum.

Sergius presbyter sancti Clementis sub Leone IV. anno ultra octingentesimum quinquagesimo tertio in concilio itidem Romano suffragium dedit.

Johannes presbyter cardinalis tituli sancti Clementis, Johanne XV. apostolicam Sedem administrante, subscripsit canonizationi sancti Udalrici episcopi Augustani.

Sebastianus presbyter cardinalis sancti Clementis, Benedicto VII. dicto VIII. Romanæ ecclesiæ Pontifice, sua subscriptione firmavit decretum in Romana synodo editum pro Willelmo sancti Benigni Fructuariensis abbate.

Hugo Candidus, seu, ut alii, Blancus Gallus, vel juxta aliquorum opinionem, Tridentinus a sancto Leone IX. Pontifice inter presbyteros cardinales titulo sancti Clementis cooptatus est; deinde

inde Romanæ ecclesiæ archipresbyter, & episcopus Prænestinus renunciatus, sub Stephano X. Pontifice apostolicæ Sedis unitatem deseruit vir animo duplex & rebellioni addictus. Multas, Alexandro II. & Gregorio VII. Pontificibus, a quibus in Hispaniam & Germaniam missus fuit, passus est calamitates ac variam fortunam, Cadaloi pseudopapæ partibus adhærens. Efflavit animam in schismate sub finem Pontificatus Urbani II., postquam quinquaginta pene annos in cardinalatu transegit.

IV. Romanus presbyter tituli sancti Clementis ab Alexandro II. cardinalis creatus a Panvinio in Epitome Pontificum memoratur. Quendam his temporibus Romanum presbyterum Cardinalem Baronius inter schismaticos refert, qui conciliabulo Romæ habito contra Urbanum II. interfuere, & synodalem epistolam contra Catholicos scripsere: sed an is fuerit, quem titulo sancti Clementis Alexander II. præfecit, & cujus epitaphium superius exscripsi, quodque in porticu basilicæ servatur, haud satis compertum est apud Baronium.

Rainerius vel Reginerius apud Bledam in Æmilia nostra celebris Galliatæ comitatus vetus oppidum natus, ex canonico Regulari Lateranensi monachus Cluniacensis, deinde abbas sancti Laurentii extra muros, a Gregorio VII. inter cardinales

nales titulo sancti Clementis adscitus, mox ab Urbano II. in Hispaniam legatus est; quo demum vita functo, ad Pontificatum Paschalis II. nomine ascendit, & sedit annos duodeviginti, menses quinque, & dies novem.

Robertum Romanum ex prænobili Capifuccorum familia ab Urbano II. anno millesimo octogesimooctavo in cardinalem titulo sancti Clementis assumtum Ciaconius enumerat, idemque confirmat Oldoinus in ejus additiooe ex quodam Honorii II. diplomate ex archivo Capitolino depromto, cui subscriptos inter cardinales Robertum Capisuccum se legisse testatur.

V. Anastasius Romanus presbyter cardinalis tituli sancti Clementis a Paschale II. renunciatus apud Beneventanos una cum Leone cardinale legatus adivit, & sub eodem Pontifice mortalitatem explevit.

Arnaldus, sive, ut alii putant, Ascanius presbyter cardinalis itidem a Paschale in titulo sancti Clementis Anastasio suffectus interfuit concilio Vastallensi, sacramentaque firmavit, quæ Paschalis de investituris bonorum ecclesiasticorum Henrico Cæsari pollicitus fuerat. Obiit Arnaldus, ut notat Ciaconius, anno supra millesimum centesimo duodecimo.

Rainaldus presbyter cardinalis tituli sancti Clementis sub ipso Paschale Lateranensi synodo sub-

subscripsit, cujus acta refert Baronius ad annum ipsum millesimum centesimum duodecimum.

Anastasium alterum juniorem dictum ab eodem quoque Pontifice sancti Clementis presbyterum cardinalem adlectum habet Ciaconius, eum scilicet, qui basilicam musivo opere & cathedra episcopali exornavit, & ad Honorii II. tempora usque vitam perduxit.

Alius etiam in ecclesiasticis tabulis a Paschale cardinalis creatus titulo sancti Clementis occurrit, nimirum Ascanius alter, qui, ut observat Baronius, investituram Henrico Imperatori Paschalis nomine concessit: sed an revera sancti Clementis titularis fuerit, & alius a primo Ascanio, apud auctores non satis apparet.

VI. Non levis item dubitandi occasio est de Aloysio Lucido inter cardinales a Calixto II. anno millesimo centesimo undevicesimo adscripto, quem Ciaconius sancti Clementis presbyterum scribit, dum adhuc Anastasius junior in humanis agebat.

Ubertus de Ratta, seu Rubeus de Lanfranchis, ut Ughellus tradit, Pisanus, & Sigonio teste, Bononiensis, ex canonico Pisano presbyter cardinalis tituli sancti Clementis ab Honorio II. renunciatus legati vices in Hispaniam pro indicendo ibidem concilio obivit. Illum Innocentius II. sacris Pontificalibus decoravit, deindeque apostolicæ

 Sedis

Sedis in Italia legatum præfecit, quo sedente e vivis excessit.

Lucius Boetius Romanus Vallisumbrosæ monachus diaconus primum cardinalis ab Innocentio II. declaratus, postmodum inter presbyteros titulo sancti Clementis cooptatus est, & manu sua plura ejusdem Pontificis firmavit diplomata.

VII. Bernardus ex canonico Regulari sancti Fridiani Lucensis, & Lateranensis monasterii priore, ab Eugenio III. presbyter cardinalis tituli sancti Clementis creatus, deinde basilicæ Vaticanæ archipresbyter, mox episcopus Portuensis, necnon sanctæ Rufinæ & Secundæ adlectus est. Adfuit articulis concordiæ inter Eugenium III. & Fridericum Romanorum regem, multasque pro Romana ecclesia legationes administravit. Romæ e vita migravit anno ultra millesimum centesimo septuagesimo sexto, & in basilica Lateranensi sepultus.

Verarverii presbyteri cardinalis sancti Clementis nudum nomen legitur in literis Alexandri III. ad Alphonsum I. Lusitaniæ regem, sed a quonam Romano Pontifice renunciatus fuerit, obscurum est: Ughellus tantum ab Alexandro creatum tradit, objisse tamen ferunt sub eodem Pontifice anno ipso millesimo centesimo undeoctogesimo.

Hugo, alias Hugutio Romanus ex Petri-leonis familia diaconus primo cardinalis ab Alexandro III. nomi-

nominatus, postmodum inter presbyteros tituli sancti Clementis adscitus est. Alexandri legatus in Anglia, Scotia, & Gallia fuit, deinde adiit Henricum Friderici Imperatoris filium pro pace cum Romano Pontifice confirmanda. Lucii III. jussu Willelmi Scotorum regis adsuit absolutioni, necnon conventui Veneto cum Alexandro III., obiitque Lucio III. Pontifice.

VIII. De Petro Ursino Romano in cardinalium collegium circa hæc tempora assumpto non una est auctorum opinio: alii enim ab Alexandro III. creatum dicunt, sed ejus titulum non enunciant: Sansovinus autem in historia familiæ Ursinæ ab Urbano III. titulo sancti Clementis adlectum fuisse scribit, eundemque episcopum Tusculanum ordinatum, & Innocentii III. ætate diem extremum clausisse.

Sed quicquid de illo fuerit, citra dubium occurrit Petrus alius inter cardinales a Clemente III. titulo sancti Clementis adnumeratus, qui literis subscripsit canonicis sancti Fridiani Lucensis datis anno millesimo centesimo octogesimooctavo, & sub eodem Pontifice decessit.

Johannes natione Langobardus presbyter cardinalis in titulo sancti Clementis ab eodem Clemente defuncto Petro suffectus est, hinc episcopus Viterbiensis, mox Albanensis nominatus, Romæ Innocentio III. Pontifice occubuit.

IX. Post Johannem Clementis III. cardinalem ad Celestini V. usque ætatem nullum alium in ecclesiasticis monumentis reperi, qui sancti Clementis titulum adeptus sit, ob modicum fortasse illius ævi cardinalium numerum, quem Panvinius & Ciaconius in suis collectionibus observarunt.

Itaque a Celestino V. inter presbyteros cardinales titulo sancti Clementis relatum legimus Guillelmum Ferrerium natione Gallum, seu, ut alii scribunt, Hispanum, qui ex præposito ecclesiæ Massiliensis Bonifaci VIII. jussu in Gallia legationis munere functus est; unde in Hispaniam citeriorem adiit, & Jacobi regis nomine Aragoniæ ac Valentiæ regnorum investituram accepit. In Perpiniani urbe diem supremum obiit, sepultusque in ecclesia fratrum Minorum.

X. Jacobus Thomasius Cajetanus Anagninus Bonifacii VIII. sororis filius ordinis Minorum sancti Francisci ab eodem Pontifice presbyter cardinalis creatus, in titulo sancti Clementis præmortuo Guillelmo subrogatus est. Plures postquam pro apostolica Sede egit legationes, e vita excessit Romæ Bonifacio adhuc Pontifice, suique post se summum bonis desiderium reliquit.

Bernardus de Garvo Gallus Clementis V. consobrinæ filius, diaconus primum cardinalis a Clemente, deinde presbyter tituli sancti Clementis ab Johanne XXI. dicto XXII. renunciatus est.

De-

Decessit Avenione a partu Virginis anno ultra millesimum trecentesimo duodetricesimo, & in ecclesia fratrum ordinis Minorum sancti Francisci tumulo donatus.

XI. Petrus de Chappes Gallus consiliarius Cameracensis, episcopus Atrebatensis, mox Carnotensis, anno, quo prædecessor Bernardus occubuit Romana purpura titulo sancti Clementis ab Johanne XXI. insignitus, octo post annos e vivis ereptus est.

Petrum alium Gallum Annonensem pietatis laude ac doctrina clarissimum idem Johannes inter presbyteros cardinales titulo sancti Clementis adnumeravit. Caussas primum egit in senatu Parisiensi, cujus deinde consiliarius fuit, immo & unus e quatuor sanctioris consilii clericis, necnon Johannæ a Burgundia Francorum reginæ cancellarius. Nivernensis, tum Augustodunensis ecclesiarum infulis decoratus, pro jurisdictionibus ecclesiasticis tuendis adversus Petrum de Cuneriis coram rege Philippo, Galliæque episcopis, atque principibus feliciter & strenue disceptavit, ac decretorie pugnavit. Vitæ cursum explevit anno salutis millesimo trecentesimo quadragesimooctavo, ejusque corpus humatum est prope Villam-novam Avenionensem in ecclesia Deiparæ sacra prioratus Montis-alti, quem ipse pia liberalitate fundaverat.

Guil-

XII. Guillelmus Judicis Gallus Lemovicensis Clementis VI. ex sorore nepos juris scientia instructissimus ac legum doctor insignis ab avunculo Clemente inter diaconos cardinales cooptatus, mox ab Urbano V., seu, ut alii putant, a Gregorio XI. presbyteris titulo sancti Clementis adscriptus est. In regno Neapolitano legationis munere jussu Clementis functus, ab Innocentio VI. in Castellam item legati nomine missus, demum Avenione Gregorio Pontifice animam efflavit.

Ægidius Albernotius natione Hispanus, patria Conchensis, literis & sanctimonia clarus, archiepiscopus Toletanus, qui celebri contra Mauros expeditioni præfectus magnæ & memorandæ victoriæ pars fuit, a Clemente VI. inter presbyteros cardinales titulo sancti Clementis adlectus est. Ab Innocentio itidem VI. episcopus Sabinensis nominatus, & primum legatus in Italiam ad recuperandam ecclesiasticam ditionem tyrannorum vi præreptam directus, admirabili prudentia militibus stipatus Romanæ ecclesiæ restituit. Clemente VI. Innocentio VI. & Urbano V. Pontificibus omnium Italicarum rerum curam habuit, & ab Urbano Neapolim etiam ad Johannam reginam legatus adire jussus est. Viterbii vitam hanc meliore permutavit magno Pontificis Urbani bonorumque omnium mœrore. Scripsit doctissimus cardinalis præter constitutiones, quas Ægidianas vocant, alias insti-

institutiones, quarum perversitum exemplar in membranis inter antiqua suorum civium monumenta se legisse fatetur Julius Roscius Hortinus in elogiis militaribus. Ejus cineres Assisii temporario sepulcro in ecclesia sancti Francisci conditi sunt, deinde Toletum in ecclesia sancti Hildephonsi translati cum hac inscriptione:

Aegidius de Albornots
Cardinalis
Archiepiscopus Toletanus.

In amplissimo collegio, quod Bononiæ suis Hispanis ædificavit Ægidius hoc aliud exstat elogium:

Aegidius card. sancti Clementis
Spectabili virtute
Beati Petri patrimonium
Tyrannica sævitia rabiente
Variis turbinibus agitatum
Recuperata pristina libertate
In tuta pace quiescit.

XIII. Petrus Judicis seu de Judicia Gallus Lemovicensis ordinis sancti Benedicti monachus Gregorii XI. consobrinus, & Guillelmo cardinali sanguine conjunctus archiepiscopus primo Narbonensis, mox Rothomagensis, demum presbyter cardi-

cardinalis titulo sancti Clementis ab eodem Pontifice assumtus, Gregorium Italiam & Urbem repetentem comitatus est, in cujus itinere Pisis e vita migravit, ibidemque tumulum habuit.

Geraldus de Podio Gallus item Lemovicensis monachus Cluniacensis ejusdem Gregorii consanguineus, ex archimandrita majoris monasterii primum abbas, deinde episcopus sancti Flori, postea Carcassonensis, postremo præsbyter cardinalis titulo sancti Clementis a Gregorio renunciatus est, & majoris pœnitentiarii munere auctus. Civitatis Perusinæ, & patrimonii sancti Petri administrator, postquam creationi pseudopapæ Clementis VII. Fundis suffragium dedit, Avenione fatis concessit.

Poncellus Ursinus Romanus Aversanus episcopus ab Urbano V. nominatus, ad cardinalatus dignitatem ab Urbano VI. titulo sancti Clementis evectus est. Hic primum honoris sibi collati memor Urbano aliquando fidus comes frequentibus ejus peregrinationibus adhæsit; ceteroquin Pontificis severitate victus, absens ab aula donec ille vixit in suis oppidis moram habuit; quo demum e medio sublato, quum pontificiam Sedem appeteret, Angelo Acciajolo cardinale itidem appetente, ita quod alter alteri cedere nulla ratione adduci posset, Pontifex inde omnium suffragiis electus est Petrus Tomacellus cardinalis, & olim Neapo-

Neapolitanæ ecclesiæ canonicus Bonifacii IX. nomine, qui Poncellum Sabinis pro apostolica Sede vicarium generalem, & Romanæ ecclesiæ archipresbyterum præfecit: sed paullo post Romæ diem clausit extremum.

XIV. Interea laborante diro schismate Romana ecclesia inter Urbanum VI. & Clementem VII. pseudopontificem, ipse quoque suos pseudocardinales assumsit, quos inter sancti Clementis titulum infra sequentes obtinuerunt.

Jacobus de Montenayo Gallus archidiaconus major ecclesiæ Remensis Clementis pseudopapæ cubicularius ab eodem inter presbyteros cardinales titulo sancti Clementis cooptatus est; alii tamen discrepant, eique titulum sanctorum Petri & Marcellini adsignant. Obiit Avenione anno supra millesimum trecentesimo nonagesimoprimo.

Petrus Geraldi de Podio Gallus Lemovicensis Geraldi cardinalis consanguineus ex episcopo Lodevensi primum, dein Podiensi, seu ut alii putant, Aniciensi cardinalibus titulo sancti Clementis a Clemente pseudopontifice adscriptus est; sed quidam dissentiunt,& sancti Petri in Vinculis titularem existimant. A Benedicto XIII. de Luna ejus successore episcopus Tusculanus renunciatus, cum postmodum in schismate pertinacem deseruit, atque ad Pisanum concilium confugit, in quo legitime purpuram cum episcopatu Tusculano adeptus

est. Majoris pœnitentiarii munere sub Alexandro V. decoratus, quem in Pontificem eligendum curavit, Avenione decessit anno millesimo quadringentesimo decimoquinto, sive, ut aliqui tradunt, duos alios post annos.

Berengarius Anglesola Hispanus ex episcopo Gerundensi presbyteris cardinalibus a pseudopontifice Benedicto adnumeratus est titulo sancti Clementis, deinde ad episcopatum Portuensem promotus legationem pro Benedicto ad Aragoniæ regem administravit, in cujus obedientia mortalitatem explevit.

Julianus Dobla Benedicti a secretis cameræ apostolicæ clericus, & sacelli Pontificii sacerdos presbyter cardinalis ab eodem declaratus, primo titulum sancti Clementis, deinde episcopatum Ostiensem optavit. In ejus obedientia adeo pertinaciter stetit, ut illo e vivis sublato, Ægidium Monotium Barchinonensis ecclesiæ canonicum in schismate Pontificem elegerit. Verum quum Ægidius Petri Fuxii cardinalis Martini V. a latere legati auctoritate spoliatus fuerit insignibus ac munere Pontificatus, Julianus etiam in manibus legati titulum & cardinalatus honorem dimisit.

Franciscus Rovera Hispanus decretorum doctor, negotiorum regiæ curiæ Aragoniæ promotor, ex canonico Majoricensi, annuente Fuxio cardinale legato, presbyteri cardinalis dignitatem titulo sancti

cti Clementis a Clemente VIII. pseudopontifice, Benedicti successore ipsa die, qua Pontificatu sine jure occupato dejiciendus erat, invitus suscepit, eademque deposuit.

XV. Ut autem ad legitimos Romanæ ecclesiæ cardinales sermo redeat, post Poncellum, Ursinum Gabriel Condulmerius Venetus occurrit filius Angeli, & Bariolæ Corariæ clarissimæ feminæ omnibusque sæculis celeberrimæ, quæ raro felicitatis exemplo fratrem Gregorium scilicet XII., filium Eugenium IV., & nepotem Paulum II. Romanos Pontifices vidit. Gabriel itaque a Gregorio XII. ejus avunculo ex canonico Veronensi primum protonotarius apostolicus, deinde generalis thesaurarius, & episcopus Senensis, demum presbyter cardinalis tituli sancti Clementis creatus est. Illum tamen reliqui cardinales velut cardinalem non agnoverunt, nisi postquam Gregorius in Constantiensi concilio Pontificatu abdicavit. Una cum Antonio Corario cardinali ordinis canonicorum Regularium sancti Georgii in Alga auctor fuit. Martinus V. Bononiam rebellem ad officium revocaturus, Gabrielem cardinalem Bononiensi bello legatum præfecit, & brevi urbem illam in Pontificis potestatem redegit. Anno autem a partu Virginis ultra millesimum quadringentesimo tricesimoprimo Eugenii IV. nomine Pontifex inauguratus, Romanam ecclesiam annos quindecim, men-

ses undecim, & dies viginti unum laudabiliter administravit.

XVI. Branda Castellioneus Mediolanensis Bonifacio IX. Pontifice Romanæ rotæ auditor, deinde semel & iterum in Germaniam ab eodem missus, legationem sibi commissam egregia omnium laude adimplevit. Placentinus episcopus constitutus, a Johanne XXII. dicto XXIII. in cardinalium numerum titulo sancti Clementis relatus est, postea sub Martino V. Placentina ecclesia dimissa, ad Portuensem migravit. Conciliis Pisano & Constantiensi, ac Martini Pontificis creationi interfuit, a quo in Bohemiam contra Hussitas apostolicæ Sedis legatus, necnon in Hungariam pro ecclesiæ pace expeditus ingenti omnia dexteritate composuit. Ab Eugenio IV. altera item legatione Mediolanum ornatus, Ambrosianum ritum delere, ac Romanum inducere inani studio contendit. Tandem plenus dierum occubuit, ejusque corpus in majori ecclesia Castellionis marmorea urna reconditum fuit, eique metrice insculptum legitur & satis prolixum sepulcrale elogium, quod in ejus vita Ciaconius exscripsit.

XVII. Hugo Lusignanus Græcus Jacobi regis Cypri filius ex archiepiscopo Nicosiensi diaconus primum a Martino V., mox ab Eugenio IV. presbyter cardinalis tituli sancti Clementis, postremo episcopus Prænestinus adlectus est. Legationem

tionem objit Martini jussu in Campania ac Maritima, necnon aliam in Gallia Basileensis conventus nomine ad pacem inter Francorum & Angliæ reges componendam. Interfuit conventui Atrebatensi, & Basileensi, defecit enim ab Eugenio, & Basileensibus patribus adhæsit; quamobrem purpura & episcopatu spoliatus in Sabaudia e vivis excessit.

Franciscus Condulmerius Venetus Eugenii IV. fratris filius protonotarius apostolicus, vicecamerarii ac vicecancellarii munere auctus, archiepiscopatum etiam Bisuntinum, necnon patriarchatum Constantinopolitanum a patruo Romano Pontifice obtinuit, a quo deinde presbyteris cardinalibus titulo sancti Clementis adscriptus, eo mox dimisso, ad Portuensem ecclesiam inter episcopos translatus est. Multis post purpuram dignitatibus cumulatus, Veronensem episcopatum administravit, & ut Gallici scriptores referunt, Vesuntonensem. Legationem Eugenii jussu ad ducem Venetiarum pro expeditione contra Turcas implevit, cui prælio etiam præfuit apostolicæ Sedis legatus. Nicolai V. electioni suffragium dedit, quo Pontifice decessit, & in Vaticana basilica sepulcrum accepit.

Henricus de sancto Allosio Papiensis, seu ut alii notant, Scotus, Terdonensem episcopatum primo nactus, mox ad Papiensem translatus, demum ex Mediolanensi archiepiscopo ab Eugenio IV. ad purpuram assumtus est titulo sancti Clementis.

Multa

Multa donec vixit pietatis edidit opera, quibus pauperes fame, aliisque morbis laborantes sublevavit. In vivis Romæ desiit anno jubilei millesimo quadringentesimo quinquagesimo, & in basilica sancti Clementis tumulum habuit, cui superius exscripta adposita est elegantissima epigraphes.

XVIII. Johannes Castellioneus Mediolanensis Brandæ cardinalis consanguineus ex protonotario apostolico episcopus primo Constantiensis in provincia Rothomagensi, Papiensem postmodum ecclesiam adeptus, plerunque absens illam gubernavit; siquidem pro Nicolao V. & Calixto III. legationis munere in Germania ad Fridericum III. Imperatorem fungebatur. Hinc ab eodem Calixto inter purpuratos patres relatus titulo sancti Clementis, Pio II. Pontifice Marcam Anconitanam apostolicæ Sedis legatus rexit, quo sedente Maceratæ e vita cessit. Corpus Mediolanum delatum in sepulcro majorum conditum fuit hoc epitaphio ornandum:

Johanni Castellioneo
Mediolanensi
Episcopo Papiensi
Tit. B. Clementis S. R. E. presb. cardinali
Celestini IV. Pont. Max.
Octaviani, Gottifredi, & Brandæ cardinalium
Gentili;

Qui

Qui quum legationis munere
Apud Fridericum III. Imperatorem
Concitandi in Turcas exercitus caussa
Apostolicæ Sedis nomine secundo
Fungeretur
A Calixto III.
In amplissimum ordinem absens
Est cooptatus,
Eoque defuncto
A Pio II.
Legatus Marchiæ Anconitanæ
Designatus,
Dum in ea provincia legislatoris
Strenui simul ducis operam
Contra Picciuinum
Nimis solicite impendit,
Inopinata febre præventus,
Maceratæ interiit XVIII. *kal. Maii*
Ann. sal. M CD LX.

XIX. Bartholomæus Roverella Ferrariensis Hadriæ primum episcopus, deinde archiepiscopus Ravennas doctrina, consilio, & morum integritate clarissimus, in regno Siciliæ Pontificis nomine legationem gessit, ut contra Turcas cruciatam indiceret. Ex Pontificii facelli facerdote a Pio II. in cardinalium collegium titulo sancti Clementis adlectus, alias plures obiit legationes, in Angliam

scilicet, Marchiam Anconitanam, & Umbriam. Romæ vitam cum morte commutavit anno quadringentesimo septuagesimosexto supra millesimum, ejusque cineres in basilica sancti Clementis pernobili monumento pulcherrimo inscripto elogio conditi sunt.

Antonius Jacobus Venerius Recinetensis ex cameræ apostolicæ clerico episcopus Syracusanus, mox Legionensis, dein Conchensis, a Sixto IV. presbyter cardinalis renunciatus, post titulum sanctorum Viti & Modesti in Macello martyrum, alium sancti Clementis obtinuit. Pio II. Pontifice collectoris apostolici in Lusitania, postea legationis munere decoratus apud Hispaniarum regem, Pio hinc ab humanis erepto, Romam ad Paullum II. ejusdem regis legatus accessit. In aliis quoque Occidentis oris admirabili felicitate legationibus itidem functus, omnibusque fere in Romana curia honoribus cumulatus, e vivis abjit Recineti Sixto adhuc Pontifice, ejusque corpus Romam allatum, in basilica sancti Clementis marmoreo sepulcro egregia inscriptione honorifice humatum est.

XX. Dominicus de Ruvere Taurinensis canonicus Lausanensis & Eporediæ, ac prior sancti Andreæ, ex arcis præfecto, basilicæ Vaticanæ canonico, & Papæ cubiculario, literis, moribus, & pietate spectabilis inter presbyteros cardinales titulo sancti Vitalis primo, deinde sancti Clementis

a

a Sixto IV. adnumeratus est. Magnificentia oblectatus nobiles ædes apud Vaticanum exstruxit, quas deinde ejusdem basilicæ archipresbyter incoluit. Ecclesiarum Taurinensis & Montis-falisci cum archiepiscopatu Tarantasiensi regimen habuit, & in partibus Pedemontis pro Pontifice legationem implevit. E mortalium societate egressus est Romæ sub Alexandro VI., atque in templo sanctæ Mariæ de Populo in sacello a se condito cum hac sepulcrali inscriptione tumulatus:

Dominicus de Ruvere
Card. tit. sancti Clementis,
Qui ædem hanc
A fundamentis perfecit:
Hic pro tempore quiescit.

XXI. Jacobus Serra Hispanus archiepiscopus Arborensis, & Papæ vicarius in ordinem cardinalium titulo sancti Clementis ab Alexandro VI. cooptatus est, quem tamen alii sancti Stephani in monte Cœlio titularem existimant. Ecclesias Elnensem & Licopiensem gubernavit, necnon legationem Perusii, in Piceno, & in Umbria gessit. Hinc postquam per episcopatus Albanensem, & Tusculanum ad Prænestinum pervenit, Romæ mortem oppetiit Leone X. Pontifice, & ejus corpus in æde sancti Jacobi nationis Hispanicæ

in sacello a se ædificato sepultum est, ubi Antonius de Monte cardinalis sepulcrale epitaphium adjecit:

D. O. M.

Jacobo Serræ
Episcopo Prænestino
Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali Arborensi.

Antonius de Monte
Card. sanctæ Praxedis
Exequutor ex testamento
P.

Clemens de Ruvere Savonensis Sixti IV. sororis filius ordinis Minorum ex episcopo Mimatensi presbyter cardinalis titulo sancti Clementis a Julio II. creatus est, cui tamen titulus sanctorum duodecim Apostolorum ab aliis tribuitur. Verum purpura parum potitus, post annum Romæ occubuit non sine suspicione veneni.

Franciscus Argentinus Venetus episcopus Concordiensis Julii II. datarius ab eodem presbyter cardinalis declaratus est titulo sancti Clementis. Romæ Julio II. adhuc Pontifice ipso suæ creationis anno interiit, & cadaver e basilica sanctæ Mariæ Transtyberim Concordiam deportatum hoc subjecto elogio conditum fuit:

Fran-

Francisco tituli sancti Clementis
Presbytero cardinali,
Johannique episcopo Concordien.
Venetorum familia Argentina
Paulo III. conf.
Fratre curante.
M D XXXIV.

Scripsit doctissimus vir de Immunitate ecclesiastica tractatum, aliaque post se literarum reliquit monimenta.

XXII. Laurentius Puccius Florentinus ex protonotario apostolico, Papæ datario, & a secretis, a Leone X. in sacrum cardinalium collegium adlectus est titulo primum sanctorum quatuor Coronatorum, deinde sancti Clementis. Majoris pœnitentiarii munere auctus, mox episcopus renunciatus, plures rexit ecclesias, Venetensem scilicet in Gallia, Amalphitanam, Caputaquensem, Melphiensem, Pistoriensem, Montis-falisci, Albanensem, & Prænestinam in Italia. A Julio II. ad Florentinam Rempublicam antea legatus, postmodum synodo Lateranensi schedis legendis præfectus fuit; & quum datariatus officio fungeretur, librum scripsit de gratiis & exspectativis. De Romana ecclesia ac de patria egregie meritus Romæ diem supremum clausit anno millesimo quingen-

tesimo tricesimoprimo, ejusque corpus e basilica Vaticana in ædem sanctæ Mariæ supra Minervam ad pedes Leonis X. translatum jacet hac posita inscriptione:

D. O. M.

Laurentio Puccio
Episcopo Prænestino
Cardinali sanctorum Quatuor
Majori pœnitentiario
Singularis probitatis ac amabilitatis,
Et in apostolicis negotiis experto,
Qui vixit annos LXXIII.
Mensem unum,
Dies IX.
Juxta Leonis PP. X.
Ut mandaverat sepulcrum.

Robertus Puccius
Cardinalis sanctorum Quatuor
Major pœnitentiarius
Fratri optimo ac benemerenti
Fac. cur.

Mortem obiit
Anno MDXXXI.

Julius

XXIII. Julius Medices Florentinus Leonis X. frater patruelis, miles Jerosolymitanus, prior Capuanus, & archiepiscopus Florentinus, diaconis primo, dein presbyteris cardinalibus a Leone adscriptus, titulum sancti Clementis accepit. Sub Leone vicecancellarii munus obtinuit: mox episcopus moderatus est Gerundensem ecclesiam in Hispania; Agriensem in Hungaria; Civitatis Castellanæ, Potentinam, Britonoriensem, & Asculanam in Italia; Vaviensem, Albiensem, & Ebredunensem in Gallia: archiepiscopus vero præter Florentinam in Italia, Narbonensem in Gallia. Sedis apostolicæ legatus præfuit Bononiæ, Exarchatui Ravennæ, Florentiæ, & toti Tusciæ provinciæ. Demum post Hadrianum VI. ad Pontificatum Clementis VII. nomine assumtus, sedit annos decem, menses itidem decem, & dies septem; ejusque in Pontificatu gesta latiori calamo nuper vulgavit vir optimæ eruditionis Ignatius Ursulinus in sua collectione de Pontificibus & cardinalibus Florentinæ nationis.

Dominicus Jacobatius Romanus consistorialis aulæ advocatus, postea Romanæ rotæ auditor, necnon Vaticanæ basilicæ canonicus, ex episcopo Lucerino, Romani archigymnasii prætore, & Papæ vicario ad purpuram inter presbyteros cardinales a Leone X. evectus, præ aliis titulum sancti Clementis optavit. Præter Lucerinam ecclesiam

clesiam, Massanam, & Grossetanam in Etruria, atque Cassanensem in Calabria administravit. Leo Pontifex Roma digressus, Dominicum cardinalem suum in ea legatum reliquit. Obiit demum vir apprime doctus, & ob plura scriptorum volumina de re literaria meritus post Urbis depopulationem, Clemente VII. Pontifice.

XXIV. Aloysius de Rubeis seu Rossius Florentinus Leonis X. sororis filius ex protonotario apostolico cardinalitia dignitate cum titulo sancti Clementis decoratus est, ac datariæ præfectus. Parum supervixit adepta purpura, & post biennium e vita migravit Romæ Leone Pontifice, a quo in basilica Vaticana, ubi tumulum habuit, hæc adposita fuit sepulcralis epigraphes:

Aloysio vetustissimæ ac nobilissimæ
Rossiorum Florentiæ familiæ orto,
Ob ejus
In Mediceam familiam affinitatem,
Fidem, & observantiam
Leoni X. Pont. maximo
Apprime grato,
Ob ejus ingentes animi
Corporisque dotes
In cardineum senatum adscito,
Et mox
Cum totius Romanæ curiæ luctu

Imma-

Immatura morte perempto,
Idem Leo X. Pont. max.
Temporaneum monumentum,
Donec in patriam sepulcro
Tanto viro digno tumulandus
Portaretur,
Fieri fecit.

Obiit anno Domini M D XIX.
Mens. Augusti
Die XXX.

XXV. Andreas Matthæus Palmerius Neapolitanus archiepiscopus Materanus & Acheruntinus inter presbyteros cardinales titulo sancti Clementis a Clemente VII. cooptatus est. Præfuit quoque episcopus ecclesiis Sarnensi, Lucerinæ, Saracenorum, Conseranensi, & Policastrensi. Hinc Mediolanensis ducatus a Carolo V. Imperatore gubernator delectus, Romæ occubuit Paullo III. Pontifice, ejusque corpus in temporario sepulcro in templo sanctæ Mariæ de Populo humatum fuit hoc elogio:

Andreæ Matthæo Palmerio
Neapolitano
Sancti Clementis presbytero cardinali,

Jo-

Johannes Vincentius Palmerius
Fratri optimo
Multis cum lacrymis posuit,
Qui vixit ann. XLIIII.
Menses V. *dies* X.
Decessit XIII. *kal. Februarii*
M D X X X V I I.

XXVI. Hieronymus Ghinuccius Senensis ex canonico Senensi cameræ apostolicæ clericus, deinde auditor, in concilio Lateranensi Julio II. Pontifice celebrato suffragium tulit. Leonis X. in Anglia nuncius apud Henricum VIII., ab illo episcopatu Wigorniensi donatus fuit; & ab Hadriano VI. ad Milevitanum translatus, demum a Paullo III. inter presbyteros cardinales adscitus, titulum primo nactus est sanctæ Balbinæ, deinde sancti Clementis. Asculanam, Tropejensem in Calabria ad mare, & Cavallicensem in Gallia, administravit ecclesias. Ejusdem Paulli jussu cum duobus aliis Romanæ ecclesiæ cardinalibus ad Carolum V. Imperatorem, & Franciscum Galliæ regem apostolicæ Sedis legatus adivit. Romæ demum mortem subiit Paullo adhuc sedente, & in basilica sancti Clementis tumulum habuit, ubi recens superius allata legitur sepulcralis epigraphes.

Johannes Petrus Carrafa Neapolitanus vir morum probitate ac sacrarum literarum scientia insi-

insignis ex canonico Neapolitano, & Julii III. cubiculario episcopus Teatinus renunciatus, mox Neapolim missus Ferdinandum Hispaniæ regem Pontificis nomine suscepit; inde in Angliam iter egit, ut sancti Petri vectigal colligeret, postmodum in Hispaniam navigavit, & a Catholico rege Ferdinando in consilia admissus, sacelli regii magnus capellanus adlectus est. Ab Hadriano VI. Romam accersitus Christianæ disciplinæ restituendæ præficitur. Hadriano deinde humanis rebus exemto, Teatina ecclesia, & Brundusina, quæ ab Imperatore Carolo V. ei recens offerebatur, sponte abdicavit, melioris que vitæ cupidus in monte Pincio longe ab hominum conspectu privatis in ædibus diu consedit, ac novum totaque in ecclesia laudatissimum una cum Cajetano Thienæo hodie inter Cœlites sacris fastis adscripto presbyterorum ordinem instituit, qui Teatini a Teate civitate, cui episcopus præfuit, appellati sunt. Post luctuosam Urbis direptionem Venetiis moram agens a Paullo III. Romam bis per literas accitus, presbyter cardinalis tituli sancti Clementis invite creatus, Teatinum episcopatum iterum administravit. Purpura igitur decoratus, sacræ Inquisitionis tribunal Christianæ reipublicæ necessarium Paulli Pontificis auctoritate Romæ instituendum curavit, cui regendo ipse cum aliis probatæ integritatis viris delectus est. A titulo sancti Clementis ad alium sanctæ Mariæ Transty-

berim, deinde ad episcopatum Albanensem, mox ad archiepiscopatum Neapolitanum migravit. Sedente Julio III. Tusculanus episcopus, dein Ostiensis ac sacri collegii decanus, post Marcellum II. Pontifex inauguratus Paulli IV. nomine, sedit annos quatuor, menses duos, & dies vigintiquatuor.

XXVII. Rodulphus Pius Leonelli Carporum comitis filius vitæ sanctimonia, ac bonarum literarum laude clarissimus, emensis omnium scientiarum studiis Romam Clemente VII. Pontifice profectus, ab eodem episcopatu Faventino donatus est. In Galliam ad Franciscum I. regem missus, tum ad synodum indicendam, mox ad conciliandos Christianos principes legatus, a Paullo III. inter cardinales adscriptus est, & post sanctæ Priscæ titulum ad alium sancti Clementis gradum fecit. Roma, absente Paullo Pontifice, præfecturam Urbis, bisque Piceni, & semel Patrimonii legationem obivit. Ordinem Minorum sancti Francisci, necnon societatem Jesu Paulli jussu patrocinio fovit. Felicem Perettum (qui deinde in Pontificali cathedra Sixti V. nomine sedit) pro theologo familiari domi suæ habuit. A Carolo V. Imperatore omnium regnorum ac Romani Imperii in protectorem electus, quoad vixit, maxima principum gratia hanc sibi commissam provinciam implevit. Præter Faventinam, in regno Neapolitano Nolanam, ac Salerni-

lernitanam, necnon in Sicilia Agrigentinam rexit ecclesias. Ex omnibus tandem episcopatuum gradibus ad Ostiensem progressus, sedente Pio IV. vir optimus pluribusque cumulatus honoribus Romæ occubuit, ejusque corpus in templo sanctissimæ Trinitatis ad montem Pincium in marmoreo monumento a Pio V. Pontifice ædificato conditum fuit, quod insuper præclarissimo hoc honestavit elogio:

QUI DORMIUNT IN TERRÆ PULVERE EVIGILABUNT.

Rodulpho Pio cardinali Carpensi
Principi senat.
Amplissimis ecclesiæ Dei muneribus
Singulari prudentia perfuncto
Juris ecclesiastici defensori,
A gratia, terrore, voluptatum illecebris,
Et adversis casibus æque invicto,
Ad beneficentiam nato,
In summa gravitate jucundissimo,
Pius V. Pont. max.
Salutaris officii in custodia
Catholicæ veritatis consorti
Perpetuis de Christiana republica sensibus
Studiisque conjunctissima
Hoc amoris

Et judicii sui
Monumentum posuit,
Anno salutis M D LXVIII.
Pontif. sui III.
Vixit annos LXIV.
Menses duos, dies VIII.
Obiit ann. sal. M D LXIV.
VI. *non. Maii.*

Faventini nostri acceptorum memores beneficiorum a Rodulpho antistite ad ejus imaginem & insignia in celebri communitatis palatio hanc epigraphem posuere:

Rodulpho Pio S. R. E. Card.
Defensori nostro.

Hæc nobilissima Piæ gentis insignia,
Quibus excelsus hic
Et illustris locus decoratur,
Memoriam renovant
Illustrissimi Pii cardinalis amplissimi,
In quem unum
Se tota convertit civitas,
Quem senatus,
Quem omnes boni intuentur,
Et in quo solo hujus urbis nititur solum.

Anto-

Antonii Solærii Carpinatis opusculum de veneratione & invocatione Sanctorum in Desiderium Roterodamum Rodulpho Pio cardinali Faventino antistiti inscriptum legi.

Prænobilis hujus ecclesiæ regimini, quæ centum ab hinc & ultra annis episcopo cardinale gloriatur, hodie ingenti omnium laude & bonorum exsultatione episcopus præsidet Marcellus Duratius Cardinalis religione & prudentia commendatissimus, qui nuper totam Æmiliæ provinciam Sedis apostolicæ legatus feliciter administravit.

XXVIII. Johannes Alvarez Hispanus ex vetustissima Toletana familia ordinis Prædicatorum alumnus Cordubensis primo episcopus, mox Burgensis, supplicante Carolo V. presbyter cardinalis a Paullo III. nominatus, post titulum sancti Sixti alium optavit sanctorum Clementis & Pancratii, quos duos Julius III. Pontifex in unum redegit, deinde dissolvit. Præfuit episcopus ecclesiæ Albanensi, & Tusculanæ: deinde Burgensi episcopatu dimisso, ad Compostellanum archiepiscopatum migravit. Decessit in Urbe Paullo IV. Pontifice, ejusque corpus in æde sanctæ Mariæ supra Minervam in temporario sepulcro depositum est, exindeque in Hispaniam delatum.

Petrus Bembus Venetus miles Jerosolymitanus, Patavinæ ecclesiæ canonicus vir eruditione & eloquentia admirabilis, Latinæ Etruscæque lin-

guæ facultatis ornamento conspicuus, qui plura post sæcula, quibus dicendi elegantia jacuerat, veterum scriptorum eloquutionis æmulatus periti am, ad primævum nitorem velut postliminio feliciter revocavit. Leonis X. a secretis electus, maxima diligentia demandatum munus implevit; ex quo a Paullo III. inter diaconos cardinales cooptatus, mox in presbyterorum ordinem assumtus, post titulum sancti Chrysogoni, alium sancti Clementis adeptus est. Episcopus ecclesiam Eugubinam rexit, postea Bergomensem. Obiit vir summus, bonis omnibus, & cardinalium senatui percharus totius Urbis & orbis mœrore de re literaria meritissimus Paullo adhuc Pontifice, & in ecclesia sanctæ Mariæ super Minervam inter Leonis X. & Clementis VII. monumenta sepulturam habuit cum hoc epitaphio:

Petro Bembo patritio Veneto
Ob ejus singulares virtutes
A Paullo III. Pont. max.
In sacrum collegium cooptato,
Torquatus Bembus posuit.
Obiit XV. *kal. Febr.* M D XLVII.
Vixit ann. LXXVI.
Mens. VII.
Dies XVII.

Ejus

Ejus vitam elegantissime scripsit Johannes Casa vir amplissimi nominis, & editis scriptis in ore famæ clarissimus.

XXIX. Johannes Baptista Cicada Genuensis ex utriusque signaturæ referendario apostolicæ cameræ auditor, deinde Albinganensis episcopus concilio Tridentino interfuit. A Julio III. in sacrum senatum adlectus est presbyterali titulo sancti Clementis, Campaniæque legatione cohonestatus. Præterea ecclesias Moriensem, Acriensem, Sagonensem, & Candiensem mira solicitudine gubernavit. Pio IV. Pontifice ad titulum sanctæ Anastasiæ, mox ad episcopatum Sabinensem translatus, e vivis abiit vir admirabili doctrina, & rerum civilium cognitione præstantissimus Pio V. sedente, & in æde sanctæ Mariæ de Populo sub marmore his æneis literis insculpto traditus est sepulcro:

D. O. M.

Johanni Baptistæ Cicadæ
Genuensi
Episcopo Sabinen.
S. R. E. cardinali sancti Clementis
Viro ingenii acumine
Et ubertate consilii admirabili
Omnium officiosissimo,
Juris rerumque urbanarum

Ac

Ac forensium usu ac intelligentia
Peritissimo,
Libertatis ecclesiasticæ
Defensori studiosissimo.
Carolus Cicada
Episcopus Albinganensis
Hæres ex testamento
Patruo B. M. posuit.
Vixit annos LX.
Obiit die VIII. *Aprilis* M D LXX.

XXX. Johannes Antonius Capifuccus Romanus ex canonico basilicæ Vaticanæ ad sacræ rotæ auditoratum, dein ad purpuram a Paullo IV. vocatus, Pio item IV. Pontifice, sancti Clementis titulum optavit. A Pio V. signaturæ gratiæ præfectura decoratus, eodem sedente Romæ decessit, & in basilica sancti Clementis honorabili elogio sepultus.

Johannes Antonius Sorbellonius Mediolanensis Pii IV. amitinus Fulginatensis episcopus, ab eodem inter presbyteros cardinales adscriptus, Pio V. Pontifice sancti Clementis titulum obtinuit. Novariensem ecclesiam, necnon, ut alii putant, Camerinensem administravit, ac Perusiæ, Umbriæque legationes justitiæ & religionis gloria moderatus est. Per omnium demum episcopatuum gradus ad Ostiensem pervenit, & sacri collegii decanus Romæ

e vita

e vita migravit anno millesimo quingentesimo nonagesimoprimo; ejusque corpus in ecclesia sanctæ Mariæ ad Thermas sepulcrali hac inscriptione conditum est:

D. O. M.

Johannes Antonius Sorbellonius
Mediolanensis
Pii IV. Pont. max. amitinus
Cardinalis sancti Georgii
Episcopus Ostiensis
Sacri collegii decanus
Vir civili prudentia,
Nationum notitia,
Multoque rerum usu præstans
Personæ dignitatem
Apud summos Pontifices auctoritate,
Consilio, publici boni studio
Per annos II. *&* XXX.
Summa cum laude sustinuit.
Vixit annos LXXII.
Obiit XV. *kal. Aprilis* M D XCI.
Fabricius Sorbellonius
Johannis Bapt. F.
Gabr. nep.
Testamento hæres patruo magno
B. M. fecit.

XXXI. Stanislaus Hosius Polonus Cracoviensis vir clarissimi nominis, regia cancellaria, mox Cracoviensi canonicatu donatus, deinde ad episcopatum Culmensem electus, Sigismundi regis ad Carolum V. Imperatorem, & ad Ferdinandum Romanorum regem orator adivit. Julio III. annuente Varmiensis ecclesiæ curam suscepit, relicta Culmensi. A Paullo IV. Romam ad ecclesiasticam disciplinam restituendam accitus, a Pio IV. ad Ferdinandum Cæsarem, & Maximilianum Bohemiæ regem pro convocanda Tridentina synodo missus, paullo post presbyter cardinalis invite renunciatus, titulis præfuit primo sanctæ Sabinæ, mox sancti Laurentii in Pane & Perna, sancti Pancratii, sancti Clementis, postremo sanctæ Mariæ Transtyberim. Vix ab ejus assumtione duo menses abierant, quum Hosium Pontifex apostolicæ Sedis legatum concilio Tridentino præfecit; postmodum a Pio V. Polonica legatione decoratus, commissum munus summa cum laudis fama administravit. A Gregorio XIII. majoris pœnitentiari auctus officio, singulari admodum charitate ad audiendas in Vaticana basilica confessiones sæpenumero assidebat, & toto, quo vixit tempore, demandatam provinciam sedulo adimplevit. E vita cessit in oppido Capranicæ prope Romam, quo valetudinis caussa se contulerat anno ultra millesimum quingentesimo undeoctogesimo, ejusque cadaver Romam adve-

advectum, in antiqua sanctæ Mariæ Transtyberim basilica sequenti adposito epitaphio honorifice tumulum habuit:

D. O. M.

Stanislao Hosio
Polono
Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali
Varmiensi episcopo,
Majori pœnitentiario,
Vitæ sanctitatis, eruditionis,
Et eloquentiæ gloria celeberrimo,
Catholicæ fidei accerrimo propugnatori,
Qui quum antiquæ probitatis,
Et episcopi vigilantiæ præstantiam
In humilitate, charitate, castitate, & beneficentia
Expressisset,
Hæreticas sectas scriptis, & consiliis
Sapientissime & ferventer
Oppugnasset,
Multis ab erroribus revocasset,
Gravissimisque legationibus
Pro pace ecclesiæ Dei
Quum apud Carolum V.
Et Ferdinandum Cæsarem,
Tum præcipue
In sacro concilio Tridentino

Pii IV. Pontificis nomine
Felicissime perfunctus,
Christianæ republicæ
Plurimum præfuisset,
Omnium virtutum laudibus & exemplis
Ad imitandum abundans,
Obdormivit in Domino nonis Augusti
Anno salutis M D LXXIX.
Aetatis suæ LXXVI.
Stanislaus Hosius patruo,
Et Stanislaus Rescius patrono beneficentissimo
Exequutores testamenti
Posuere.

Sapientissimi cardinalis inclyta gesta testamenti exequutor Stanislaus Rescius protonotarius apostolicus optimo calamo scripto commisit.

XXXII. Marcus Siticus Altæmpsius Germanus Pii IV. ex sorore nepos episcopus Cassanensis primo dictus, hinc nuncius apostolicus ad Ferdinandum Imperatorem pro convocatione Tridentini concilii legatus, ab eodem Pio inter diaconos cardinales adscitus est. Inter presbyteros deinde relatus, titulum optavit sanctorum duodecim Apostolorum, mox sancti Clementis, demum sanctæ Mariæ Transtyberim. Dimissa Cassanensi ecclesia archiepiscopus Neapolitanus electus, postmodum Constantiensi infula, perpetua Avenionensi & Piceni

Piceni legationibus, archipresbyteratu Lateranensi, majoris pœnitentiarii munere ornatus, in his obeundis ministeriis ingentis animi existimationem, omnemque laudem promeruit. Legatus concilio Tridentino cum aliis præfedit, quo feliciter completo ad Maximilianum Imperatorem Pii Pontificis nomine accessit. Demum plures post exantlatos labores Romæ ab humanis exemtus est Clemente VIII. sedente, ejusque corpus in sacello a se magnifice exstructo in basilica Transtyberina sepulturam accepit.

Prosper Sanctacrucius Romanus a Paullo III. inter advocatos consistorialis aulæ cooptatus, deinde inter sacræ rotæ auditores, mox ad Ferdinandum Romanorum regem nuncius designatus, hinc ad episcopatum Chysamensem assumtus est. A Julio III. in Gallias itidem nuncius ad Henricum II. regem pro pace inter illum & Carolum V. Imperatorem firmanda expeditus, re infecta Romam redit, ubi ad Pontificatum usque Pii IV. ad sui auditoratus munus implendum consedit. A Pio igitur Bononiam gubernator, deinde in Hispaniam, post in Lusitaniam, iterumque in Gallias apostolicæ Sedis nuncius directus, postremo cardinalium collegio adscriptus est. In Galliis toto Pii IV. Pontificatu ad reipublicæ Christianæ negotia tractanda moram fecit, ubi rara fide & prudentia arcanorum regni particeps effectus, res inter Pontificem & Ca-

tha-

tharinam reginam feliciter adminiſtravit, ibique Arelatenſem eccleſiam obtinuit. Romam a Pio V. accerſitus præfuit primus presbyter cardinalis eccleſiæ ſancti Hieronymi Illyricorum, quam Pius in titulum erexit, mox ſanctæ Mariæ in Thermis, ſancti Hadriani, & ſancti Clementis. Albanenſi epiſcopatu a Sixto V. donatus, Romæ e vivis ereptus eſt, & in baſilica Liberiana tumulatus his notis ſepulcrali marmore inſculptis:

D. O. M.

Proſpero Sanctacrucio
Sanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali
Epiſcopo Albanenſi,
Qui ob eximias animi
Ingeniique virtutes
Poſt primaria palatina officia
Et eccleſiaſticas dignitates
A Pio IV. Pont. max. cardinalis creatus,
Legationibus Germanica, Luſitanica,
Hiſpanica, & Gallica bis
Flagrante inteſtino bello provincia
Egregia cum laude functus,
Maximisque
Toto vitæ curſu
Pro republica ſuſceptis
Laboribus

Obiit

Obiit ætatis ann. LXXVI.
Sal. MDLXXXIX.
Marcellus Sanctacrucius Valeris f.
Ex fratre nepos
Posuit.

In bibliotheca Barberina prostat, Mabillonio teste in Musei Italici tomo primo parte prima, MS. volumen auctore Prospero Sanctacrucio, hoc est libri tres commentariorum de civilibus Galliarum dissensionibus.

Vitæ hujus optimi cardinalis partem, quæ manu exarata servatur apud eminentissimum Cardinalem Andream Sanctacrucium magni patrui nepotem meritissimum, luculenter scripsit Antonius Maria Gratianus episcopus Amerinus magni vir nominis & scriptor accuratissimus, qui præter alia feliciter edita ingenii sui prope admirabilis opera, in vita Johannis Francisci Commendoni clarissimi cardinalis laudis culmen adeptus, plane docuit quemadmodum excelsæ virtutis viri eloquentiæ luminibus æternitate donentur.

XXXIII. Vincentius Laurcus Tropeæ in Calabria natus, cujus familia eadem est ac vetustissima Sanseverinorum Neapolis, Petri Paulli Parisii primum familiaris, mox Nicolai Gaddi, post Francisci Turnonii, & demum Hippolyti Estensis cardinalium, cum Hippolyto in Gallias profectus gra-
vis-

vissimorum virorum hortatu regis Navarræ familiaritati adhæsit. Eo ab humanis sublato Romam reversus, a Pio V. episcopus Montis-regalis in Subalpinis renunciatus, hinc apud Mariam Scotorum reginam, dein apud Emanuelem Philibertum Allobrogum ducem apostolici nuncii partes exegit. A Gregorio XIII. ad Poloniæ regem item nuncius, iterumque in Sabaudiam legatus; dein absens in ordinem cardinalium adlectus, titulo primum sanctæ Mariæ in Via præfuit, quo dimisso, alium sancti Clementis optavit. Obiit Romæ vir optimus Clemente VIII. Pontifice, & corpus in basilica sancti Clementis sepulcro traditum fuit.

Ejus vitam disertissime scripsit Rogerius Tritonius, ibique plura de dignissimo cardinale memoriæ consignavit, de cujus affinitate Neapoli nobilis Comorum familia gloriatur.

Flaminius Platus Mediolanensis, Gregorii XIV. affinis ex advocato consistoriali, & Romanæ rotæ auditore, ab eodem Pontifice inter diaconos cardinales relatus, deinde a Clemente VIII. inter presbyteros adscriptus titulum sancti Clementis adeptus est. Decessit Romæ vir probitate ac doctrina singularis Paullo V. sedente, ejusque cineres in ecclesia nominis Jesu conditi sunt, ubi hoc epitaphium in pavimento ex marmore positum legitur:

Fla-

D. O. M.

Flaminii Plati
Patricii Mediolanensis
Sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis
Ossa hic jacent,
Cujus peritiam legum,
Opportunitatem consiliorum,
Studium religionis
Non hic disces sepulcrali fide,
Posthumaque fama:
Disces si id curas
Ab Romanæ rotæ judicibus,
A purpuratorum patrum senatu,
Apud quos collega incomparabili admiratio
In perpetuum vivet.
Quod autem viro mortale fuit,
Hieronymus Platus
Comes Carpiniani
Eques sancti Jacobi a Spatha
In hoc sua
Erga optimum patruum pietatis
Monumento composuit.

Obiit anno Domini M DC XIII.
Ætatis suæ LXIII.

XXXIV. Johannes Franciscus ex comitibus Sancti-georgii & Blandratæ Casalensis utriusque signaturæ referendarius Pii V. Pontificis jussu cardinalem Alexandrinum Michaelem Bonellum nepotem in Hispaniam, Lusitaniam, & Galliam ad tractanda sacri fœderis negotia sequutus est. In Italiam reversus Nursiæ primum, mox Camerini, & Bononiæ ditionisque ejus præfectura donatus fuit. A Gregorio XIII. post alia egregie impleta munera almæ Urbis gubernator adlectus, a Sixto V. Aquensis episcopus in Insubribus renunciatus, demum a Clemente VIII. Romana purpura auctus titulo præfuit sancti Clementis. Piceni legatione, elapsoque biennio Flaminiæ item ornatus, totam deinde Ferrariensem provinciam Petri cardinalis Aldobrandini legati collegatus administravit. Legati etiam nomine in occursum Margaritæ Austriacæ Hispaniarum reginæ una cum Octavio Bandino cardinale jussu Clementis accessit. Anno millesimo sexcentesimotertio Aquensi ecclesia relicta, ad Faventinam translatus, illam jugiter summo amore ad exitum usque vitæ dilexit. Lucam demum ad balnea valetudinis caussa profectus, supremo ibi correptus morbo, pauperibus ac familiaribus necnon ecclesiæ suæ Faventinæ pluribus pulcherrimisque donis liberali manu legatis ex hac mortali vita Paullo V. ad Pontificatum assumto decessit. Ejus corpus Faventiam, ut testamento mandaverat, dela-

delatum, in cathedrali ecclesia, & in sepulcro a se exstructo sequenti hac inscriptione conditum est:

Sepulcrum episcoporum Faventinorum
Sibi & successoribus suis
Erectum de mandato
Johannis Francisci
Ex comitibus Blandratæ & Sancti-georgii
Sanctæ Romanæ ecclesiæ
Cardinalis sancti Clementis,
Cujus corpus hic jacet.
Obiit XIV. *kalen. Augusti* M DC V.
Vixit annos LX.
Menses III.
Dies XIV.

In eadem ecclesia prope sacellum maximum hoc aliud in marmore exstat elogium, quod Guido Blandratæ comes nepos posterorum documento posuit:

D. O. M.

Johanni Francisco
Ex comitibus Blandratæ & Sancti-georgii
Post peragratas cum card. Alexandrino
Legato insigniores Christiani nominis regiones,
Quamplurimis ecclesiasticæ ditionis urbibus

 Nur-

Nursia, Camerino, Bononia,
Provinciisque semel Umbria;
Bis Flaminia, bis Piceno
Ipsa denique Roma egregie administratis:
Asculanis & Spoletinis seditionibus
Sapienter compositis,
Exsulibus exterminatis,
In Pontificum arduarum rerum consilium
Ter adscito:
Aquensi primum,
Mox Faventino episcopo renunciato,
A Clemente denique VIII.
In delectu gravissimorum virorum
Ad cardinalatus apicem
Titulo sancti Clementis evecto,
Piceni & Flaminiæ legationibus
Summa cum laude functo,
Collegato Ferrariæ constituto;
Ibique sui nominis æternam gloriam consequuto,
Viro in rebus omnibus vel acriter consulendis
Vel mature deliberandis,
Vel fortiter peragendis
Ingenio, prudentia,
Fortitudine animi incomparabili,
Cuique quod reliquum erat,
Virtus adfuit, vita defuit.
Guido ex fratre nepos
Post pusillum mortalitatis illud vestigium
Tanto

Tanto patruo
Ex ejus instituto alias conditum,
Ut cujus modestiæ satisfecit,
Merito quoque satisfaceret,
Amplissimum hoc immortalitatis illius gloriæ
Pietatisque propriæ monum. P. C.
Anno salutis M DC V.
Obiit anno ejusdem salutis M DC V.
XIV. *kalen. Augusti.*
Vixit annos LX.
Mensis III. *dies* XIV.

XXXV. Carolus de Comitibus Romanus utriusque signaturæ referendarius, Viterbii ac Patrimonii prolegatus, Castri primum, mox Camerini gubernator, ad episcopatum Anconitanum, Sixto V. Pontifice evectus est; hinc Perusio, postmodum Umbriæ, demum jussu Clementis VIII. Marchiæ Anconitanæ præfedit. Nuncius apostolicus extra ordinem Cæsarem adiit, & legatione Avenionensi decoratus, ab eodem Clemente in purpuratorum senatum adscitus, post titulum sancti Chrysogoni, alium sancti Clementis accepit. Romæ repentina morte sublatus obiit Paullo V. adhuc Pontifice, sepultusque in titulo sancti Laurentii in Lucina, quem non ita pridem optaverat. Post se librum constitutionum pro Perusii civitate reliquit, quas *Comitinas* vocant.

Jo-

Johannes Baptista Bonsius Florentinus magni nominis jurisconsultus senator Florentinus ab Henrico IV. Galliæ rege Biterrensis antistes nominatus, necnon Mariæ Mediceæ reginæ eleemosynarius, ad ejus preces a Paullo V. inter cardinales adnumeratus est titulo sancti Clementis. Romæ diem clausit extremum vir pietate & literis clarissimus postquam Gregorii XV. electioni tulit suffragium, ejusque corpus Florentiam apud Teatinos asportatum hac ornatur epigraphe:

D. O. M.

Johanni Baptistæ Bonsio
Thomæ episcopi ex fratre nepoti,
Dominici & Constantiæ Victoriæ
Feminæ nobilissimæ filio
Senatoria dignitate præclaro,
Juris utriusque consultori celeberrimo;
Francisco & Ferdinando magnis Etruriæ ducibus
Apprime charo,
Qui post sedatas
Inter Clementem Papam VIII.
Et Ferdinandum ducem
Limitum controversias
Biterras appulsus,
Episcopali infula ornatus,
Diœcesim suam optimis in visitatione
San-

Sanctionibus imbuit, & instruxit.
Pias in urbem
Virorum ac mulierum domos admisit,
Quaque in haresim
Bellorumque civilium tenebris diu jacuerant,
Singulari ejus ope emerserunt.
Mox ab Henrico magno rege IV.
Ob matrimonium cum Maria Medices ineundum
In Italiam missus,
Magnus ejusdem Mariæ reginæ eleemosynarius
Mirum sibi amorem
In regia curia conciliavit.
Tandem rege petente
A Paullo Papa V. purpura illustratus,
Romæ pluribus & arduis
Pro Sede apostolica
Et regno Galliæ negotiis
Summa cum laude peractis,
Eximia candoris, prudentiæ,
Pietatis & integritatis exempla
Reliquit.
Obiit Romæ die IV. *Julii*
Anno M DC XXI.
Ætatis suæ LXVII.

XXXVI. Desiderius Scalia Cremonensis ordinis Prædicatorum alumnus officii sacræ inquisitionis in Urbe commissarius a Paullo V. Romanæ eccle-

ecclesiæ cardinalium collegio aggregatus, Gregorio XV. Pontifice titulum sancti Clementis adeptus est. Episcopus Melphiensem ecclesiam, deinde Comensem rexit, qua dimissa e titulo sancti Clementis ad illum sanctorum duodecim Apostolorum, mox ad alium sancti Caroli in via cursus migravit. Romæ septuagenarius efflavit animam Urbano VIII. sedente, sepultusque in eadem sancti Caroli ecclesia, ubi in pavimento hæc prostat inscriptio:

D. O. M.

Desiderii Scaliæ
Ex Prædicatorum familia
Cardinalis
Vita dum desideratur, eripitur:
Et quod de eo condi potuit,
Sub marmore jacet;
Ceterum eximiæ ejus virtutes
Per ora volant.
Frater Deodatus Scalia
Episcopus Alexandrinus
Avunculo beneficentissimo
Grati animi exiguum argumentum
Posuit
Anno salutis M DC LIII.

Jo-

XXXVII. Johannes Dominicus Spinula, Genuensis in numerum cameræ apostolicæ clericorum a Paullo V. adlectus, mox adhuc adolescens generalis auditor renunciatus, ab Urbano VIII. sacra purpura insignitus, titulum sancti Clementis accepit, quem postea in alium sanctæ Cæciliæ commutavit. Acheruntinum & Materanum archiepiscopatum nactus, deinde ad Lunensem & Sarzanensem ecclesiam in Liguria, demum ad Mazariensem in Sicilia translatus, ibidem anno sexcentesimo quadragesimonono supra millesimum, sexagenario major huic sæculo valedixit, & in cathedrali ecclesia tumulum habuit.

Marcus Antonius Franciottus Lucensis protonotariorum collegio a Paullo V. adscriptus, sub Gregorio XV. Fabrianum, mox Faventiam gubernator rexit. Ab Urbano VIII. inter clericos cameræ apostolicæ cooptatus, annonæ præfectus primo, deinde generalis auditor declaratur; quo munere quùm fungeretur, cardinalis creatus, necnon episcopus Lucensis electus, titulo præfuit sancti Clementis, quo dimisso, alium sanctæ Mariæ de Pace ad mortem usque retinuit. Flaminia apostolicæ Sedis legati nomine Urbano sedente administrata, plures post annos Alexandro VII. Pontifice Romæ mortalitatem explevit, & in templo nominis Jesu, ubi sepulcrum elegit, sequenti elogio tumulatus est:

Marco Antonio cardinali Franciotto
Episcopo Lucensi,
Qui apostolicæ cameræ clericus,
Et generalis auditor
Ab Urbano VIII. purpuræ admotus,
Et Flaminiæ e latere legatus,
Mox gravissimis in Urbe
De republica Christiana consiliis
Ab Innocentio X. & Alexandro VII.
Adhibitus,
Ut summis mortalium prudentia & fide,
Sic infimis acceptus mansuetudine ac liberalitate
Decessit
Sanctissimæ vitæ
Sanctiori exitu
Aetatis ann. LXXIV.
Saculi M DC LXVI.

XXXVIII. Vincentius Maculanus in nobili oppido Juliæ Fidentiæ alias Florentiolæ in Insubria natus, Papiensis cœnobii ordinis Prædicatorum alumnus, confecto scientiarum omnium stadio, post plurium in Gallia Cispadana cœnobiorum præfecturas, primum Papiæ, deinde Genuæ apostolici inquisitoris, Romæ postea totius sui ordinis procuratoris, mox ejusdem vicarii generalis munere functus est. Hinc officii sacræ inquisitionis com-

commiſſarius, mox apoſtolici palatii magiſter adlectus, adeo ſe virum ſingularem in hiſce miniſteriis obeundis palam omnibus præbuit, ut Urbanus VIII. purpura primo, exinde archiepiſcopatu Beneventano ornaverit, & presbyteris cardinalibus titulo ſancti Clementis adſcripſerit. Romam poſt annum a Pontifice revocatus, implicitusque gravioribus curiæ negotiis, Beneventanum ſacerdotium dimiſit. In Urbe ſub Alexandro VII. e vita ceſſit prope nonagenarius, & in baſilica ſanctæ Sabinæ ſepulturæ traditus fuit.

XXXIX. Innicus Caracciolus Neapolitanus ab Urbano VIII. inter protonotarios apoſtolicos adſcitus, mox inter cameræ clericos, ab Alexandro VII. unus ex quatuor nunciis ad Chriſtinam Svecorum reginam deſtinatus, apoſtolicæ cameræ auditor generalis electus, demum in ordinem cardinalium aſſumtus, & archiepiſcopus Neapolitanus renunciatus, Clemente IX. ad Pontificatum evecto, titulum ſancti Clementis accepit. Suſcepto hinc Neapolitanæ eccleſiæ regimine, nonniſi inſignia pietatis, prudentiæ, & amoris exhibuit argumenta. Eo ſiquidem ad cleri Neapolitani cultum nervos omnes intendit, ut merito claræ memoriæ Jacobus cardinalis Cantelmus deinde Neapolitanus archiepiſcopus Innici cardinalis ſolicitudinem admiratus, in oratione ad ſynodum diœceſanam anni ſexcenteſimi nonageſimiquarti ultra milleſi-

 mum

mam habita sic in ejusdem cleri laudes effusus eruperit: *De spirituali cleri Neapolitani disciplina & morum honestate, cujus specimen apud exteras quoque nationes praefulget, voti compos perpetes omnipotenti Deo gratias agere teneor.* At prudentissimus cardinalis ejus profectui consuleos presbyterorum Missionis congregationem Neapolim accivit, quorum probitatem & ecclesiastici spiritus praestantiam Roma ceteraeque florentissimae urbes experiuntur. Illos autem, donec apta domo ad sacra obeunda ministeria donaverit, in suis aedibus singulari beneficentia recepit. Plures habuit Neapoli synodos, ubi perutilia semper sanxit decreta, & optima ad ecclesiae suae decus edidit monita. Ad sacros ordines promovendos insignis notae & pietatis virorum judicio probari voluit, iisque *exercitia spiritualia*, ut vocant, praescripsit; quae deinde Pontifex Innocentius XI. encicylca epistola ad omnes Italiae episcopos praecepit. Amplissimam dioecesim pluries invisit, & laudabilem nunquam cibaria recipiendi consuetudinem instituit. Neapoli atque in dioecesi curavit, ut quotannis missiones agerentur per viros probatae integritatis apostolicarum missionum suae cathedralis sacerdotes, quorum studio & labore spiritualis undique fructus emersit. Ecclesias in earum plerunque sollemnitatibus accedebat, ibique sacrum admirabili adeo spiritu, praesertim pontificalia per-

agen-

agendo celebrabat, ut heterodoxi etiam ad pietatem, necnon ad Catholicam fidem adducti sint. Ecclesiæ suæ jura constanti semper animo invictus propugnavit, quin potius extendit. Plura, Innico cardinale archiepiscopo, monasteria, congregationes, & nova pietatis instituta erecta sunt, quæ inter enumeratur Providentiæ monasterium, cujus fundatrix probitate & prudentia celebris fuit ipsiusmet Innici cardinalis germana soror Agnes Caracciola; & fere in omnibus egregia spectantur religionis ejus exempla. Lectiones pro sanctis Neapolitanæ ecclesiæ episcopis, necnon pro ejusdem protectoribus in breviario Neapolitano recitandas curavit: & sancti Januarii clarissimi martyris officium, quem in protectorem maximum præcipuo cultu Neapolitani & Regnicolæ venerantur, sub duplici ritu per universum orbem celebrari obtinuit. Erga pauperes ita liberalis fuit, ut illum non semel viderint Neapolitani nimia hujusmodi erogatione depauperatum, atque aliquando, ut ferunt, nedum linteis lectum exuerit, verum & proprias sibi vestes detraxerit. Quandoque etiam pomeridianis horis miseros consolantem visum fuisse nonnulli dixerunt, atque domesticam supellectilem deferentem, quam ne quis adspiceret, vestibus occultabat. Laudes velut blasphemias renuebat, ac strictiori præcepto laudantium ora compescere solitus, ultro exhibitas librorum deditiones se non tantum legisse, verum nec

nec oculum admovisse professus est; & quod admirabilius videtur, suorummet correctiones expetebat, & vel in minusculis aliquando oblatas, læto animo excipere, ac subditum admonere, devinctum amplecti consueverat. Quanta vero fuerit religiosissimi cardinalis in sacras ædes solicitudo ac obsequium, nemo est inter Neapolitanos, qui nesciat: id enim satis probant plurimæ earum consecrationes celebri pompa peractæ: aliæ id testantur ecclesiæ, quas magnifice reparavit; metropolitanam scilicet picturis, lapidibus, aureisque ornamentis undequaque instruxit; argenteis vasis, simulacris, & candelabris, necnon serica supellectile locupletavit. Sanctæ Restitutæ veterem basilicam longa ætate collabentem a Constantino Magno exstructam, ob antiquam Mariæ virginis imaginem opere musivo elaboratam, quam *de Principio* vocant (quum primam esse, quæ Christianorum venerationi exposita fuerit, Neapolitanarum rerum scriptores affirment) inter nobiliora orbis sanctuaria adnumerandam, ideoque pluribus ad illam virorum sanctitate illustrium, & præsertim sanctæ Birgittæ viduæ peregrinationibus insignem, ære suo iterum ædificandam susceperat, quam morte præreptus imperfectam reliquit. Parochialem ecclesiam sancti Johannis ad Portam a fundamentis erexit, ut ibidem posita docet inscriptio:

Inni-

D. O. M.

Innicus Caracciolus
E Ducibus Airolæ
Sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis
Archiepiscopus Neapolitanus
Ecclesiam vetustate consumptam
Suis sumptibus reædificavit
Anno Domini M DC LXXXIV.

Mortis memor sibi vivens in metropolitana sepulcrum elegit, eique has insculptas esse voluit notas:

Innicus
Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis
Caracciolus
Ex Ducibus Airolæ
Archiepiscopus Neapolitanus
Vivus mortalitati suæ
Monumentum posuit
Anno Domini M DC LXXXVIII.

Proximam ergo mortem præstolatus, postquam duodeviginti annorum spatio Neapolitanæ ecclesiæ archiepiscopus præfuit, anno sexcentesimo octogesimoquinto supra millesimum die tricesima Januarii repentino morbo correptus, Innocentii XI. Pon-

Pontificis bonorumque omnium mœrore vitam hanc meliore commutavit, ejusque corpus in cathedrali ecclesia terræ mandatum fuit. Ante marmoreum sibi conditum monumentum humi defixam æneo opere & lapidibus circumornatam Carolus Caracciolus ejus pronepos hanc epigraphem subjecit:

Innico cardinali Caracciolo
Archiepiscopo Neapolitano,
Quod ære suo ædem hanc plastico,
Pictorioque opere,
Pilas damascena veste auro fimbriata,
Aras vasis, divos simulacris argenteis
Auxerit,
Sancto Liborio sacellum
Erexerit,
Sancta Restituta templo exigenda nomina
Legaverit,
Se innocentia,
Suos disciplina, familiam fama,
Posteros exemplis cumularit,
Monumentum hoc
Carolus Caracciolus dux Areolanorum
A Ferdinando patre cœptum absolvit.
Anno sal. hum. CIƆ IƆC LXXXXII.
Magno patruo benemer. fatis functo
Anno CIƆ IƆC LXXXV.

Plu-

Plurima Neapoli animæ ejus funebria persoluta sunt officia, quæ inter insignia fuere, quæ apostolicarum Missionum congregationis presbyteri optimi cardinalis memoriæ devinctissimi persolverunt. In ejus laudem vir clarissimus ac eruditus Josephus Sanctlicius ejusdem congregationis pluries superior integerrimæ vitæ sacerdos doctissimam & sanctorum patrum sententiis refertam orationem confecit, in qua Romanæ nedum Neapolitanæ ecclesiæ jacturam satis indoluit. Vivit hodie dignissimus nepos Aversanus episcopus Innicus Caracciolus, qui non modo nomen cum magno patruo commune habet, verum etiam pastoralem ejus solicitudinem ceterasque, quibus excelluit, virtutes.

XL. Ferdinandus de Abdua Mediolanensis ex apostolico nuncio ad Jacobum II. Angliæ regem ab Alexandro VIII. inter presbyteros cardinales titulo sancti Clementis adscriptus est. Innocentio XII. Pontifice ad alium sanctæ Balbinæ titulum gradum fecit, & ab eodem Ferrariensi primum legatione, deinde Bononiensi donatus, iterumque ad illam a CLEMENTE XI. Pontificum maximo difficillimis hisce temporibus obeundam jussus, admirabili dexteritate & vigilantia hactenus optimi Principis partes implevit, & totam ditionem gubernavit. Camaldulensium monachorum ordinem patrocinio fovet, ejusque pro-

 sectui

fectui admodum ftudet. In laudes ampliffimi Cardinalis progredi haud duxi, ne temere potius quam recte prudentum hominum judicio id fufcipere videar.

XLI. Thomas Maria Ferrarius Mandurienfis (Mandurium olim civitas in Salentinis, cujus meminit Livius in libro tertio decadis feptimæ, & Plinius in libro fecundo capite centefimotertio, hodie amplum & infigne oppidum prope Tarentum in provincia Hydruntina, quæ etiam Japygia dicitur, inter alias Neapolitani regni longe clariffima) ordinis Prædicatorum inftitutum ab ineunte adolefcentia profeffus, Neapoli ftudiis exactis, ibidem in celeberrimo fancti Thomæ Aquinatis collegio philofophiam primum, deinde quamplures annos theologiam magna auditorum frequentia docuit, ejusque ftudii regentis munus adminiftravit. Hinc Innocentii XI. fanctæ memoriæ Pontificis juffu Bononiæ in inclyto ac florentiffimo fancti Dominici conventu theologiam quoque tradidit, regentis item fungens officio. Romam inde ab eodem accitus, facri apoftolici palatii magifterio, moxque apoftolici concionatoris etiam munere fuit decoratus. Poftmodum ab Innocentio XII. in prima duodecim Cardinalium creatione anno millefimo fexcentefimo nonagefimoquinto in ampliffimum Purpuratorum ordinem cooptatus titulo fancti Clementis, deinceps clericorum regularium Miniftrantium

tium infirmis patrocinio, ac post obitum præclarissimæ memoriæ Hieronymi Casanatæ cardinalis, & Sedis apostolicæ bibliothecarii, sacræ Indicis congregationis præfectura donatus fuit. Demum a CLEMENTE XI. Pontifice optimo religiosæ familiæ, quam sancti Hippolyti in Mexico vocant (cui stabiliendæ & confirmandæ non levem prius contulerat operam) protector fuit renunciatus. Ab hujus dignissimi Cardinalis laudibus invite quidem, sed modestissimi principis indignationem veriti abstinemus: fas enim est ut ejus pudori parcamus, qui more virorum magni nominis plurimæ laudis loco duxit laudem non appetere, sed mereri.

FINIS.

APPENDIX.

OPus dum cudebatur Romam Parisiis transmissus est tomus tertius Annalium ordinis sancti Benedicti, quos paucis ab hinc annis sapientissimus Mabillonius vulgandos suscepit, cujus amplissimam eruditionem, & in re literaria immensos prope exantlatos labores, nemo nisi literarum expers ignorat. Hic itaque addendum duxi quod vir doctissimus ad annum octingentesimum septuagesimumsecundum de consecratione basilicæ Casauriensis, & in illam ex urbe Roma translatione corporis sancti Clementis Papæ & Martyris adnotavit & scripto commisit in laudato volumine, cujus mihi copiam humanissime fecit in domestica bibliotheca vir singulari prædictus comitate & eruditorum amantissimus Guillelmus Laparre congregationis sancti Mauri in Urbe procurator generalis. „ Ad „ hunc item annum (inquit) refertur dedicatio „ basilicæ Casauriensis, & translatio istuc corporis „ sancti Clementis Papæ & Martyris, quod Lu„ dovicus Imperator ab Hadriano Papa obtinuisse „ dicitur ad novæ basilicæ dedicationem. Hæc fa„ cta legitur hoc anno indictione quinta sexto ka„ lendas Junii, eidemque Ludovicus Imperator „ interfuisse. Verum id cohærere non potest cum „ Annalibus Bertinianis, in quibus Ludovicus ex urbe

„ urbe Roma ad partes Beneventanas profectus
„ perhibetur, neque cum tabulario Farfensi, in
„ quo idem Ludovicus Farfense monasterium
„ adiisse dicitur, eidemque præceptum indulsisse
„ quinto kalendas Junias hujus anni indictione
„ quinta: atque adeo Casauriensi dedicationi pri-
„ die ejus diei, idest sexto kalendas Junii adesse
„ non potuit. Itaque si hujus dedicationis tempus
„ a chronographo recte statutum est, hanc ab-
„ sente Imperatore factam esse oportuit. Satis his
constat virum eruditissimum dubium quoque habuisse Berardi historiam de fundatione monasterii Casauriensis (etsi ad chronologiam tuendam ejus mendum excuset) quæ item validissimo hocce argumento nonnihil uti veritati admodum dissona, probatur. At si rem altius auctor illustris explorasset, aut etiam exploraret, non dubito quin ei tota prorsus commenti moles innotesceret, & mecum in sententiam veniret.

Præterea ad annum superiorem octingentesimum sexagesimumsextum Piscariensis monasterii fundamenta jacta fuisse memorat, jamque Ludovicum Imperatorem vivente Lothario patre opus hoc secum animo concepisse. Hinc notat inchoata basilica, in honorem sanctissimæ Trinitatis primitus fuisse consecratam, & paullo post etiam sancti Clementis vocatam „ ob translatas (ait) istuc hujus „ sancti Martyris reliquias. Quamobrem Leonis Ostien-

Ostiensis videtur testimonio suffragari, qui tradit Piscariensem ecclesiam sanctissimæ Trinitatis primo dictam, postmodum ab abbatibus ampliato ædificio sancti Clementis fuisse appellatam. Alia inferius & sparsim in toto volumine congerit scriptor accuratissimus de hoc insigni monasterio, quæ nimirum a Duchesnio deprompsit, ab Acherio, & Ughello, unde & nos documenta nostra produximus, necnon a præclaro illo chartario, quod prostat in bibliotheca regia a Carolo VIII. Francorum rege ex Italia illatum: atque ex illis totam monasterii conficit historiam, ibique plura indicat Imperatorum & Regum diplomata, vetera in appendice addit instrumenta & privilegia, aliaque hujus generis infert monumenta, quibus mirifice volumen ingenti cumulat eruditione.

Lubet insuper subnectere appendicis loco quicquid nudiustertius in absolutissima Romani archigymnasii bibliotheca nota dignum aliud agens reperi de genere & ortu sancti Clementis Papæ inter opera manu exarata clarissimi abbatis Casinensis Constantini Cajetani; ubi pauca ex vita sancti Pontificis excerpta sunt, quam Hesychius Salonitanus conscripsit: „ Clemens natus Romæ kalendas Julias ipso die quo Tiberium Augustum „ adoptavit, Sexto Ælio & C. Sentio Saturnino „ Coss. Paternum illi genus ex antiquissima Clau„ diæ gentis Neronum familia, maternum e gente Ani-

„ Anicia erat: pater Faustinus, mater Matthidia
„ appellata est. Deinde incipit: „ Post dormitio-
„ nem itaque sancti Pontificis Lini atque ejusdem
„ per martyrium coronationem, qui primus post
„ sanctum Petrum Romanam cathedram tenuit a
„ consulatu Italici & Trachali, usque ad consula-
„ tum Domitiani octavum & Flavii Sabini, quum
„ Clemens ex Aquileja Romam venisset, & ab
„ universa ecclesia summa cum gratulatione exce-
„ ptus fuisset, atque ut Pontificatum susciperet,
„ instanter rogaretur, rursum renuit &c.

Ibidemque præfationem reperi Gauderici episcopi Velitrensis ad vitam sancti Clementis, de qua in superioribus memini, quamque ad Johannem VIII. Pontificem inscripsit, necnon magnam partem primi libri ejus historiæ, quam etiam mutilam didici in Casinensi bibliotheca servari.

INDEX
RERUM.

A

B

C

D

fen-

G

s. Ja-

K

L

unde

M

N

O

Pisca-

R

cor-

T

de

V

Explicit Index Rerum.

CORRIGENDA.

Pag. 18. *lin.* 1. *lege* quum *ante* tum, *& si alibi inferius irrepserit*.
Ibid. lin. 21. *lege* trecentesimo
Pag. 35. *lin.* 8. *lege* prædecessore
Pag. 78. *lin.* 6. *dele* paullo
Pag. 82. *lin.* 3. *lege* diserte
Pag. 167. *lin.* 4. *lege* parum
Pag. 196. *lin.* 3. *dele* paullo
Pag. 215. *lin.* 5. *lege* paullum
Pag. 222. *lin.* 11. *lege* Verano
Pag. 406. *lin.* 26. *lege* Augustus

Siqua alia, amice Lector, offenderis menda, ut plerunque typographicæ artis fatum esse solet, prudenter etiam, uti sperare licet, ignoveris.

R O M A E

Excudebat Francıscus Gonzaga
in via Lata
M DCC VI.

Approbatione & permissu.